DE ELOCUTIONE JUSTINI.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI
PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XXII. MENSIS APRILIS MDCCCLXVIII HORA XII
UNA CUM THESIBUS PUBLICE DEFENDET
IN AUDITORIO MAXIMO

AUCTOR
FRIDERICUS FISCHER
THURINGUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
FR. REINHARDT, STUD. PHIL.
C. MODRITZKI, STUD. PHIL.

HALIS SAXONUM.
TYPIS DESCRIPSIT THEOD. VORHAUER MOLHUSANUS.

Avunculo optumo

GODOFREDO WALTERO

Molhusano

sacrum.

Perlegenti mihi historiam litterarum Romanarum a Bernhardyo conscriptam atque cognoscenti eum locum, (edit. IV. p. 311) quo ille discrepantiam, quae inter aureae et argenteae latinitatis scriptores intercedat, fere nusquam satis illustratam esse conqueritur, nihil profecto superflui visus sum facturus. si in hanc rem pro virili parte tractandam studia mea contulerim. Itaque cum duce Bernhardyo libros, quos de hac re adhuc in lucem editos ibidem ille proponit, in usum meum pervolverem, ante alios mihi placuit libellus quidam, quem Aemilius Opitius in programmatis gymnasii Numburgensis formam redactum anno MDCCCLII in publicum emisit titulo, qui est specimen lexicologiae argenteae latinitatis praefixo. Quo in opusculo is non modo Bernhardyi sententiam laudavit, sed etiam dilucide ostendit, qua ratione conscribendi sint libri, quorum auxilio perfectam argenteae latinitatis cognitionem assequi possimns. Valde enim assentiens Bernhardyo, qui proprietatem arganteae latinitatis cum in syntaxi, tum maxime in verborum copia positam esse contendit eamque ad rem bene

diiudicandam lexica omnium serioris aetatis scriptorum specialia elaboranda esse putat, hunc ipsum laborem Opitius ita „vult inter plures distribui, ut ex iis, qui a Tiberio usque ad Hadriani aetatem viguerunt, scriptoribus unusquisque aliquem eligat, cuius libros tam accurate ac diligenter perscrutetur et investiget, quam Bonnellius Quintilianum (cf. lexicon Quintilianeum ed. Bonell. Berol· 1834) aut Bötticherus Tacitum (vid. lexicon ed. Boetticher Berol. 1830) Quae singula opera si prorsus absoluta essent, collationem omnium esse instituendam, indeque quae cognoscerentur, uno libro omnia comprehendenda. Tum demum nobis concessum iri affirmat, ut discernamus, quid aut omnium illius aetatis scriptorum, aut denique singulorum proprium sit.“ His igitur ex studiis ille et lexicon et grammaticam argenteae latinitatis enasci posse dicit. Deinde cum specimen quoddam huiusmodi opusculi proferre velit, id duas in partes dividendum esse censet, quarum priore omnia ea vocabula contineantur necesse putat, quae apud probatos scriptores aut omnino non inveniuntur, aut non ea vi ac significatione, qua praedita sunt in posteriorum scriptis, altera autem parte de iis, quae in grammatica posteriores novaverint, accurate disserendum sit.

Quam operis conscribendi rationem cum valde approbarem, Trogi Pompeii historias Philippicas, quarum Justinus epitomen fecit, hoc modo tractandas mihi proposui.

Roganti vero cuidam cur ante alios Justinum potissimum elegerim, id praeterquam quod hunc latinitatis ratione habita posterioribus i. e. iis, qui post Caesarem viguerunt, rerum scriptoribus annumerandum esse duco, etiam hac de causa factum esse respondeo, quod hac dissertatione lucem quandum spero allatum iri quaestioni difficili, num Justinus res tantum e Trogi libris pro consilio suo deprompserit easque suis ipsius verbis retulerit, an una cum rebus a Trogo narratis etiam verba eius exscripserit, aliis verbis, num in hac, quam tulit aetas, epitoma Trogi ipsius fragmenta ad verbum descripta nobis sint servata.

Inest enim in Justini epitoma unicum, quod maiore circuitu est, Pompeii Trogi fragmentum (cf. A. de Gutschmidt in Flekeis. an. phil. suppl. partic. II 1857) quo per quatuor capita haud ita parva

oratio quaedam Mithridatis ad milites habita narratur lib. XXXVIII c. 4—7. Quod certum Pompeii fragmentum si ab iis, quae Justini nomine feruntur, accurate distinctum eodem modo, quo cetera, tractaverimus, facile discernere licebit, an similitudo stili an dissimilitudo his duabus epistomae partibus intercedat. Inde autem quae colligi possint, in fine dissertationis ostendam.

E tribus igitur in universum partibus totus libellus constabit, quarum prima agam de verborum copia, altera de rebus grammaticis, tertia denique de Justini ratione Trogum excerpendi. Omnia alia autem, quae continentur phraseologia et singularum enuntiationum compositione, hic omittam.

Pars I.

de copia verborum.

Auxilio mihi fuerunt maxime hi libri praeter alios omnibus notos:

1) Recke über die Spracheigenthümlichkeiten Justins progr. Molhusanum 1854.
2) editio Jeepii maior cum commentario criticio Guelferbyti 1859 emissa, quam fere ubique, quod ad contextum attinet, non sine consilio secutus sum; quibus vero locis ab ea abii, eos omnes cum singulos attingerem, paulo amplius illustravi sententiae meae comprobandae causa.
3) Handii Tursellinus, seu de particulis latinis Lips. 1832.

Rem vero ipsam ita disponendam esse puto, ut divisione in duo capita facta priore summam eorum, quae ex Justino hac in re erui potuerunt, ordine breviter complectar, posteriore autem servato solito litterarum ordine singulas voces accuratius percenseam.

Caput prius.

Duae omnino sunt res, quibus seriorum scriptorum copia verborum differt ab ea, quae e Ciceronis eiusque aequalium libris cognoscitur; seriores enim aut prorsus novas finxerunt voces, aut vocabulis, quorum usus etiam apud priores extat, recentem vim ac significationem attribuerunt. Cuius mutationis genus utrumque quantum in Justino locum habeat, infra monstrabo. Hoc vero non sufficit ad argenteae latinitatis copiam verborum cognoscendam, sed etiam valde nos scire opus est, unde seriores scriptores peculiarem iis verborum copiam sibi comparaverint. Hoc vero quadruplici modo factum esse puto. Recentiores enim voces cum ipsae tum notiones earum desumptae sunt aut ex iis scriptoribus, qui ante Ciceronem eiusque aequales scripserunt, vel archaico cuidam stili colori studuerunt, i. e. e poetis comicis vel Sallustio similibusque, aut e poetis maxime Augusteis, quibus quodammodo etiam Livius accedit, sunt haustae.
Tertio deinde loco exponendum erit, quae voces quaeque notiones argenteae tantum latinitatis scriptoribus propriae vel potius ab iis primis usurpatae, denique quae unicuique scriptori soli usitatae sint.

A. Voces, quae serioribus potissimum scriptoribus attribuendae sunt:

a) e scriptoribus, qui ante Ciceronem viguerunt vel antiquitati studuerunt, sumptae: astus, auraria, obiectus, obtentus, prosapia; perpes; exenterare, marcere, sordere.

b) e poetis maxime Augusteis haustae:
aevum, germen, ministerium, spiramentum; intractabilis, litoralis, penetrabilis, pudibundus; acerbare, consummare, imputare, manifestare, proculcare.

c) a scriptoribus argenteae latinitatis primo usurpatae:
aggeratio, antidotum, apricitas, austeritas, coagulum, cognomentum, collisio, commilitium, comploratio, concitor, con-

discipulatus, consortium, conversatio, defector, dehonestamentum, dignatio, exercitium, medela, opacitas, Ostia, orum, portio, praebitio, proeliator, proventus, reatus, scrutator, susceptor, versificator, unitas. — coaequalis, decennis, festinato, gratulabundus, impossibilis, indubitatus, infantilis, insularis, iterato, parricidalis, poenalis, qualitercunque, vicinalis — adunare, attaminare, convivere, convulnerare, dehonestare, eventilare, fatuari, purificare, restaurare, supervivere.

d) Justino peculiares: pervigilia, ae, meditabundus.

B. Voces, quarum significationes apud seriores differunt ab usu Ciceroniano.

a) quarum notiones e Plauti aequaliumque usu ductae esse videntur: civitas = urbs, alienare = removere, fingere = revera suscipere.

b) quarum auctores notionis ratione habita sunt poetae Augustei: aequor = mare, arbiter = dominus, bellum = proelium, coniux = maritus, genus = suboles, messis = de fructibus iam horreo impositis, moles = labor, proelium = bellum, vir = maritus, saucius = ebrius.

c) quarum notiones ab argenteae latinitatis scriptoribus primo immutatae sunt: contemplatio = respectus, cura = curatio, dedecus = de vitio corporis, laetitia = de fructuum copia, magnitudo = praestantia animi; mansio = temporis spatium, quod unius diei itinere expletur, opinio = fama, panificium = panis, praesumptio = opinio, proprietas = possessio, qualitas = in vulgarem sermonem apud posteriores transiit. — ambitiosus = placitus, inauditus = is, cui defensio non concessa est. — distrahere = vendere, exhibere = alere, incedere = locum intrare, perseverare (transitive) = tolerare, praedicere = supra memorare, recognoscere = recensere, se stagnare = se defendere. — deinceps = deinde, denique, dudum, etiam nunc, iuxta = secundum, mox = deinde, porro, pridem, prorsus.

d) quarum notiones Justino peculiares sunt: auspicium = initium, avocationes = oblectamenta, congressio = pugna, expositio = de liberis expositis, fabrica = studium alicuius rei, fatuari = inspirari, gener = sororis maritus, germen = (de hominibus), insularis = templi custos, obligatio = de linguae difficultate, obsidio = custodia, orbitas = viduitas, successus = temporis decursus, susceptor = qui aedificia locata exstruit, credulus (in bonam partem).

Haec igitur sunt in universum ea Justini vocabula, quae a vulgari aureae aetatis scriptorum usu aut forma aut notione recedunt. — Quaerentibus autem nobis, qua specie sint singula vocabula, in quibus usurpandis Justinus recentiori usui indulserit, haec fere adnotanda esse videntur:

1) Substantiva verbalia in „tor" desinentia cum apud Justinum, tum apud similes inveniuntur haec, quae priore tempore nondum extabant, quantum quidem nos scimus: concitor, defector, proeliator, scrutator, susceptor, versificator;
2) substantiva in „io" argenteae latinitati propria apud Justinum leguntur: aggeratio, comploratio, conversatio, dignatio, portio, praebitio;
3) substantiva verbalia in „us" serioribus potissimum usitata apud Justinum leguntur: astus, obiectus, obtentus, condiscipulatus, proventus, reatus.
4) substantiva in „um" haec apud Justinum notanda sunt: aevum, ministerium, spiramentum, cognomentum, commilitium, consortium, dehonestamentum, exercitium;
5) substantiva in „tas": apricitas, austeritas, opacitas, unitas;
6) adiectiva in „is" haec affero: intractabilis, litoralis, penetrabilis (e poetis Augusteis petita), praeterea: coaequalis, decennis, impossibilis, infantilis, insularis, parricidalis, poenalis, vicinalis;
7) adiectiva in „bundus" haec notanda sunt: gratulabundus, meditabundus, quod quidem adiectivum e lexicographorum

auctoritate apud unum Justinum legitur; praeterea pudibundus;

8) Verba, quae serioribus peculiaria a Justino usurpata sunt, paucis exceptis in „are“ desinunt: adunare, attaminare, convulnerare, dehonestare, eventilare, fatuari, purificare, restaurare, taxare; etiam apud poetas Augusteos leguntur: consummare, imputare, manifestare, proculcare.

Jam universam Justini verborum copiam si perlustraveris, eam haud ita multo differre ab ea, quae Ciceroni similibusque erat in usu, iudicabis. Hac igitur in re Justinus seriorum studio augendae linguae plerumque afuit.

Caput posterius.

acerbare = exasperare 10, 2, 5. hinc acerbatus iuvenis. Extat ap. Verg., Val. Flacc., Sil. Ital., Stat., Claudian.

adunare = congregare vel colligere frequentissime legitur apud Justinum, qui nullo alio utitur verbo, si quid in unum esse collectum vult exprimere. Sic 7, 1, 12. adunatis gentibus 15, 4, 22. adunatis copiis; praet. vid. 2, 12, 18. 5, 9, 6. 11, 5, 4. 12, 2, 6. 16, 2, 1. 24, 1, 5. et 6, 2.

aequor dictum est pro mari 2, 13, 10. quem (Xerxen) paulo ante vix aequor omne capiebat. Quae vocabuli notio poetis maxime Augusteis propria est, quod et creberrima Vergilii Tibulli Propertii Horatii Ovidii testimonia declarant et Cicero ipse (apud Nonium 1, 332.) de sui temporis poetis tradit: „Quid tam planum videtur, quam mare, ex quo etiam aequor illud poetae vocant.” E poetarum igitur usu haec notio in posteriorum scriptorum Valerii Maximi, Curtii, Taciti sermonem abiit.

aevum = 1) vitae spatium 2, 4, 17. servatae in omne aevum virginitatis admiratio. 14, 4, 14. ut

inopes omne aevum in hoc castrensi exilio agatis. Sim. Enn. Lucr. Hor.

= 2) omne, quod futurum est, tempus. 36, 2, 14. Moyses septimum diem sabbata appellatum in omne aevum ieiunio sacravit. Sic Hor. Plin. alii. — Haec vox primum ab Ennio et Lucretio usurpata esse videtur, deinde cum plerumque a scriptoribus pedestris orationis repudiaretur, a poetis, qui Augusti aetate floruerunt, repetita est; postremo autem ab argenteae latinitatis scriptoribus pro eorum consuetudine e poetarum usu in communem sermonem est tralata. cf. Cic. som. Scip. 3. Sall. Ing. 1.

aggeratio apud Vitruvium 10, 22, 9 et apud Justinum 2, 1, 20, legitur: Aegyptus aggerationibus regum sive Nili recentissima (scil. terra.)

alienare ap. Just. 13, 3, 9. idem est, quod verbum removere „cum velut occisos alienasset“, i. e. removendo e conspectu hominum occultasset. Eadem notio verbo inest apud Terentium in Heaut. 5, 2, 26. et apud Livium 41, 8

ambitiosus cum non solum sit is, qui ambit, sed etiam notione passiva is, qui ambitur. (cf. Gell. 9, 12, 1.) Justini locum paulo difficiliorem 17, 2, 6. ita interpretor, ut hoc adiectivum illic passive dictum esse contendam. Verba ipsa haec sunt: „Igitur Ptolemaeus cum et in gratiam memoriae magni Ptolemaei patris et in favorem ultionis Lysimachi ambitiosus ad populares esset,“ i. e. cum eo, quod nomine suo memoriam Ptolemaei magni patris revocabat et quod poenas caesi Lysimachi regis a Seleuco repetierat, popularium animos ita sibi conciliasset, ut ab iis ambiretur. Neque aliter passive vox usurpata est 30, 2, 2. scortum ambitiosae pulchritudinis. cf. Ovid. Trist. 1, 9, 18; Tac ann. 3, 33. Bött. Lex. Tac. p. 58.

antidotum = medicamentum contra venenum exhi-

bitum. Just. 37, 2, 6. quod (venenum) metuens antidota saepius bibit. Ita Phaedr., Cels., Scrib. Larg., Plin., Quint.;

apricitas significat aëris quandam condicionem, quae eo cognoscitur loco, qui soli leni ac temperato, non ardenti patet. Nos dicimus: milde Temperatur, milde Sonnenwärme. Sic Just. 36, 3, 5. Sed non minor loci apricitatis, quam ubertatis admiratio est. Sim. Colum., Plin.

arbiter uno Justini loco dicitur in universum pro domino, qui amplissimam habet alicuius rei potestatem 5, 2, 11. „Nam regem Persarum dissentientibus Graecis arbitrum pacis ac belli fore, et quos suis non possit, ipsorum armis victurum: perfecto autem bello statim ei cum victoribus dimicandum. Domesticis igitur bellis Graeciam obterendam, ne externis vacet" i. e. cum Graeci imprimisque Athenienses et Lacedaemonii inter se ipsos armis dissideant, fore, ut rex Persarum semper ipse statuere possit, an sibi pax cum iis servanda sit, an bellum faciendum. Haec amplior vocabuli vis, quae auctore Festo ducta est de facultate ac potestatee, qua arbitri instructi esse solent, poetis maxime Augusteis Horatio et Ovidio propria est, a quibus posteriores eam receperunt. Alia vocabuli est notio 21, 4, 3. et 24, 2, 5 = is, qui adest alicui testis vel alicuius rei conscius habetur.

astus = astutia vel calliditas. Sic primum apud Plautum et Terentium, quorum ex usu deinde in Vergilii posteriorumque scriptorum sermonem transiit. A Ciceronis et Livii usu abesse videtur. A Justino quater casu ablativo usurpatur. 2, 6, 20. 9, 2, 14. 11, 6, 8. 38, 8, 10.

attaminare = contaminare, polluere, 21, 3, 5 attaminare virginem. Invenitur etiam apud Capitolinum, Aurelium Victorem, praesertim autem apud iurisconsultos.

avocationes significant apud Justinum oblectamenta,

proprie Zerstreuungen, i. e. Vergnügungen 37, 4, 1. „Mithridates non in convivio, sed in campo, non in avocationibus, sed in exercitationibus aut equo aut cursu contendebat." Concreta notio huius vocabuli per se verbis abstractis innumerandi per numerum pluralem efficitur. Numerus singularis, quo primitiva significatio exprimitur, in Senecae epist. 56, 4 invenitur: „quae me sine avocatione circumstrepant" et apud Ciceronem in Tusc. 3, 15 „avocatio a cogitanda molestia, revocatio ad contemplandas virtutes." Alii extant auctores nulli. cf. Bernhardy hist. litt. Rom. ed. IV p. 681.

auspicium vocabulum cum varie apud Justinum inveniatur usurpatum, hic eos modo locos tractabo, qui aut notionis aut lectionis ratione habita notabiles esse videntur. Legitur in editione Jeepiana 27, 1, 1. Seleucus auspicia regni a parricidio coepit." Quae verba non modo a nonnullis non recte intellecta, sed etiam ab editore aliqua ex parte false esse scripta existimo. Atque ut primum de lectione ipsa disputem, valde ego quidem vereor, ne formula: aliquem aliquid ab aliqua re coepisse: a linguae latinae dicendi usu abhorreat. Rarissime enim (cf. Madv. § 161) substantivum quoddam huic verbo attribuitur obiecti loco; certe formula: coepi aliquid ab aliqua re nullis scriptorum testimoniis affirmari potest. Quid igitur faciendum? Quod simplicissimum est, ad codices redeundum, qui ipsi iustam praebent scripturam. Lectio enim codicum meliorum B. C. D. M. est „cepit", quod verbum hac notione instructum cum alias in latino sermone crebro usurpatur, tum aliis ipsius Justini locis sustentatur. Jam ad alteram loci difficultatem, ad interpretationem pervenimus. Explicandus enim est locus sic simpliciter: „er fing seine Herrschaft mit Mord an; auspicium hic plane idem est, quod initium, quae simplex vocabuli notio etiam aliis locis inesse videtur, cf. 26, 2. 2. auspicia belli parricidio inci-

pientes. Alibi vox significat 1) signum a diis datum ad futura praenuntianda 15, 3, 4. 1, 10, 9 et 17. 26, 2, 2. 2) summum imperium 7, 2, 9. 8, 3, 2. 14, 4, 17. 16, 3, 7.

austeritas ad animum relata significat ingenii gravis atque duri naturam (energisches, rücksichtsloses Wesen.) Just. 34, 3, 4. Adeoque haec austeritas animum regis fregit, ut pariturum se senatui responderet. Hoc substantivo seriores tantum, Columella Plinius Quintilianus alii usi esse videntur.

bellum cum significet totum illud temporis spatium, quo populi armis in se invicem rem gerunt, proelium vero nihil sit nisi certa belli pars et momentum illud, quo acie utrimque certatur: ab optimis quidem scriptoribus haec significationis differentia in usurpandis his duobus vocabulis bene servatur (cf. Cic. de nat deor. 2, 28), sed non aeque a poetis Augusteis seriorisque aevi scriptoribus, qui saepissime alterum pro altero ponunt. Sic factum est a Varrone, deinde a Vergilio et Statio, denique a Justino nec-id raro 2, 12, 23. de pugna Salaminia: Artemisia autem inter primos duces bellum ciebat. cf. etiam 6, 7, 9. 9, 4, 4. 18, 1, 11. 22, 8, 8. 28, 8, 1. In contrariam partem proelium dictum est pro bello 6, 3, 6.

civitas multis Justini locis idem valet, quod urbs, cum proprie significet summam civium, qui in urbe una habitant 2, 15, 2. munita civitas = munita urbs. 2, 12, 14 5, 4, 6. 18, 3, 12. 23, 1, 12. 24, 6, 6. 30, 4, 3. 32, 1, 7. 36, 2, 1. — Quae propriae horum vocabulorum notiones ab aureae quidem aetatis scriptoribus inter se non confunduntur, haud infrequenter autem ab iis, qui aut ante, aut post illos fuerunt; sic ab Ennio, Verrio Flacco, Petronio, Quintiliano, Tacito, maxime vero ab Eutropio, si lexicographis fidem habemus.

coaequalis 23, 4, 9. in ludo inter coaequales discenti. Ita Colum. Petr. alii eiusdem aetatis.

coagulum primum est id, quod adhibetur ad lac densandum (πυτία), deinde autem ipsum lac coagulatum appellatur coagulum (Plin. 28, 10, 45.) Cuius utriusque notionis ratione habita recte Graevius interpretatus est Justini locum 13, 7, 10. „Aristaeum lactis usum ad coagula hominibus tradidisse" (ferunt) sic: lactis usus ad coagula est lactis coagulandi ratio indeque caseos premendi. Praeter Justinum Varro (de re rust. 2, 11) Ovidius, Plinius, Gellius alii hac voce utuntur.

cognomentum 29, 1, 5. cui ex facinoris crimine cognomentum Philopatoris fuit. cf. 21, 6, 1. Haec nominis forma videtur minus usitata optimae latinitatis scriptoribus pro altera, quae est „cognomen." Apud Ciceronem legimus cognomentum pr. Mil. 17 et de fin. 2, 5.

collisio = σύγκρουσις quae fit, si duo vel plura corpora alterum altero vehementer contunduntur. Just. 11, 12, 6. „in itinere nuntiatur uxorem eius ex collisione abiecti partus decessisse." Mulier igitur eo periit, quod ex perpetuis itineris motibus partus, quem in utero habebat, vehementer in uteri parietes coniectus vivendi facultate erat privatus, qua ex re etiam mulieri mors erat subeunda. Hoc vocabulum est etiam apud Macrobium de differ. 19, 17.

commilitium = societas profecta ex stipendiis communiter factis. Just. 5, 10, 3. Admonet deinde cognationis, tum vetusti per tot bella commilitii. Habet hoc vocabulum Ovidius, deinde haud raro argenteae latinitatis scriptores Velleius, Plinius, Quintilianus, Tacitus, alii.

concitor = concitator, quae forma a Cicerone magis usurpata est, apud Justinum duobus extat locis. 2, 9, 21. Hippias auctor et concitor belli. 5, 1, 1 interim dux et concitor belli. Livii codices utramque formam promiscue habent cf. 23, 41. 29, 3. 37, 45. praeterea Tac. an. 4, 28. hist. 1; 63. alii.

condiscipulatus 12, 6, 17. Callisthenes condiscipulatu apud Aristotelem familiaris Alexandro. Praeter Justinum etiam Nepos Attic. 5. 3. hoc vocabulo usus est.

congressio universa et propria notione usurpatur a Cicerone de actu coeundi = Zusammenkunft, a Justino autem specialiter ad pugnam refertur neque id raro. 6, 4, 12. 8, 1, 12. 9, 6, 10. 27, 3, 2. 38, 9, 2.

coniux est apud optimos scriptores nihil aliud, quam uxor; poetae autem Augustei promiscue ponunt hanc vocem et pro uxore et pro marito. (cf. Verg. Aen. 6, 473. Ovid. Fast. 3, 461 alibi) quorum usum ex posterioribus etiam Justinus secutus est. 2, 4, 8. Amazones ultionem caesorum coniugum excidio finitimorum consequuntur. 28, 4, 4. nulla amissum coniugem flevit.

consortium 24, 2, 4. sorori non credenti mandat velle se cum filiis eius regni consortium iungere. Haec vocabuli forma saepenumero invenitur apud scriptores posteriores pro ea, quae Ciceroni probata est „consortio." Apud Livium uno tantum loco consortium extat 4, 5.

consummare = perficere. 2, 15, 6. spatium consummando operi quaerebat. 9, 8, 21. 12, 5, 12. — Haec vox ex lexicographorum auctoritate primum apud Livium, deinde apud Ovidium, Velleium, Columellam, Plinium alios invenitur.

contemplatio sequente genitivo apud Justinum idem valet, quod respectus vel ratio sequente genitivo (Rücksicht auf . . . .) Sic 7, 5, 7. Eurydicen scelerum suorum suppliciis liberorum contemplatio vindicaverat 8, 3, 14. non contemplatione iustitiae eius. Eandem vocabuli vim ac potestatem usurparunt praeter Justinum iurisconsulti Papinianus Ulpianus Paulus plerumque ita, ut ablativum vocis ponerent praepositionis loco. cf. Bernhardy hist. litt. Rom ed. IV. p. 681.

conversatio = συνομιλία, 39, 1. 3. superbia regis, quae conversatione Parthicae crudelitatis intolerabilis facta erat. 44, 4, 8. Sic etiam apud Vell. Plin. Quint. Senec. alios. cf. Boetticher p. 131.

convivere 36, 2, 15. ne cum peregrinis convivereent. Ita etiam Senec. Quint. alii similes.

convulnerare idem, quod simplex vulnerare, significat 2, 6, 20. a milite, quem astu convulneraverat, interficitur. Praepositio „con" nulli alii rei inservit, nisi simplici verbo augendo. Colum. Sen. Plin.

credulus ab aliis plerumque in malam partem usurpatur, a Justino in bonam. 2, 10, 10 iucunda inter se non solum, sed credula convivia habuerunt = bona in se invicem fide frequentata ac peracta. cf. com. crit. p. 17. Alios huius notionis auctores Forcellinus non affert.

cura uno Justini loco idem est, quod curatio 23, 2, 6. Agathocles, cum morbi curâ aegritudo gravior esset et inter se alterum alterius malo cresceret. Eadem ratione Cels. 2, 19. Vell. 2, 123.

decennis 33, 1, 3 sumptus decennis belli. Petr. Martial. Quint. Plin. Flor.

dedecus semel Justinus ad exterum corporis quoddam vitium retulit, cum vulgo ad animum trahatur. 13, 7, 2. de Batto, qui muta laborabat lingua: huius pater cum ad oraculum Delphos propter dedecus filii venisset, . . . Quam notionem bene intelligemus, si memoria tenemus apud veteres corporis quoddam vitium esse aestimatum pro contumelia, qua dii hominem nascentem affecerint. Sic dedecus etiam ad corpus hominis referri potest.

defector = is, qui deficit ab imperio alicuius. 16, 1, 13. se ducem ad persequendos defectores extitisse 41, 4, 4. 41, 4, 9 Tac. Suet.

dehonestamentum = dedecus, quod alicui gratiam vel honestatem adimit. 23, 4, 6. nam ex ancilla natus a patre velut dehonestamentum generis expositus fuerat. 28, 2, 9. Excepto uno loco Sallustiano, qui apud Gellium 2, 27. legitur, haec vox non nisi apud posteriores invenitur; sic apud Senecam, maxime autem in Taciti libris cf. an. 12, 14. 14, 21. alibi. Fere idem dicendum est de verbo

dehonestare 7, 3, 8. ne dehonestaretur proelio tam foedae gentis. Liv. 41, 6. Tac. Suet. Gell.

deinceps cum vulgo idem valeat, quod ordine vel graece ’εφεξῆς, deinde vero omissa certi ordinis notione nihil aliud significet nisi quam rem post aliam fieri, inveniuntur tamen loci, quibus discrimen horum vocabulorum fere prorsus sublatum esse videtur. Sic etiam Justinus interdum posuit deinceps, ubi „deinde" exspectatur. cf. Hand. Turs. II. p. 235. Just. 2, 6, 15. Post Aegeum Theseus ac deinceps Thesei filius Demophon regnum possedit. 3, 7, 12. Nec cessatum deinceps est, quin aut terra, aut mari invicem se trucidarent. 16, 3, 3. 37, 3, 3.

denique nonnullis Justini locis aliam assumpsit notionem, ac quae Ciceroni propria est. Ac primum quidem interdum idem est, quod hac de causa atque indicat aliquid esse factum ex alius praecedentis cuiusdam rei consecutione. Cui sententiae repugnat Klotzius in lexico sub voce „denique," sed haud merito, ut mihi quidem videtur. cf. Turs. II p. 273. Justin. 9, 4, 1. huius victoriae callide dissimulata est laetitia. Denique non solita sacra Philippus illa die fecit, non in convivio risit, non ludos inter epulas adhibuit. add. 2, 10, 24. 12, 12, 2. Flor. 1, 16. Deinde serioris aevi scriptores imprimis iuris consulti nonnunquam hac particula utuntur, si vel rem ante expositam auctoris alicuius dicto confirmant, vel novum ad-

dunt argumentum. cf. Hand. Tursell. II p. 275. Huc pertinent hi Justini loci 11, 11, 3. Ad Jovem deinde Ammonem Alexander pergit consulturus de origine sua. Namque mater eius Olympias confessa viro suo Philippo fuerat Alexandrum non ex eo se, sed ex serpente ingentis magnitudinis concepisse. Denique Philippus ultimo prope vitae suae tempore Alexandrum filium suum non esse palam praedicaverat. 13, 2, 10.

deputare = censere, putare 24, 8, 2. plus in deo deputantes, quam in suis viribus. Sic imprimis Terentius hoc verbum usurpavit. Etiam apud Catonem (r. r. 49) et Columellam invenitur, sed alio sensu = κατατέμνειν. Jam vero dubito, num haec, quam Ieepius in contextum recepit, scriptura iure ac merito locum habeat. Omnes enim codices non modo, quos ille contulit, sed etiam quorum lectio in aliorum libris extat (cf. ed. Gronov. 1760 p. 922) in eo consentiunt, quod praepositionem „de“ non exhibent. Jeepii enim libri has proferunt scripturas (cf. com. crit. p. 119):

A. reputantes — B. C. G. reputates. D. L. reputentes. F. spem reponentes. M. spei ponentes. Inde elucet fere omnes, quos optimos iste censet, manuscriptos et ex deterioribus eos, qui litteris D. et L. insigniti sunt, eandem praebere lectionem „reputantes.“ Reliquae autem scripturae, quibus congruunt pleraeque veteres editiones, a librariis temere contextui illatae mihi esse videntur, qui formulam illam: plus in deo, quam in viribus reputantes (sc. auxilii esse) mancam nec latine dictam esse censentes coniecturae periculum fecerunt. Cur vero Ieepius eam, quam iustam esse scripturam intellexit, non pure acceperit, sed in „deputantes“ mutaverit, ego quidem non video.

dignatio est aestimatio, quae alicui ex aliorum opinione oritur. Hac enim re differt a cognata voce, quae est dignitas, quod qui dignitate fruitur, eam in se ipso tantum

positam habet nulla ratione sententiae aliorum habita. Sed haud raro hae duae notiones confunduntur. Justinus semel vocabulo usus est 28, 4, 10 sensu proprio: Cleomenes a Ptolemaeo honorifice exceptus diu in summa dignatione regis vixit. Saepissime vox invenitur in libris Velleii Curtii Plinii Taciti Suetonii. Etiam Ciceronis Liviique locis nonnullis extat, sed incerta ibi est lectio cf. Cic. Attic. 10, 9. Liv. 2, 16 et 10. 7.

distrahere apud seriores dumtaxat est vendere Justin. 9, 1, 6. Captis itaque centum LXX navibus mercium et distractis anhelantem inopiam paululum recreavit. Praeter hunc eadem verbi notione usi sunt Tacitus Suetonius Gellius.

ducatus 2, 15, 14. Pausanias qui pro ducatu regnum Graeciae affectans . . . 9, 6, 8. Pausanias cum honoratum insuper ducatu adversarium videret. 30, 2, 5. Legitur etiam apud Suetonium et Florum.

dudum semel a Justino positum est ad opponendum simpliciter tempus peractum tempori praesenti nulla omnino ratione habita an temporis intermissi spatium sit longum, an breve. 3, 4 9. Partheniae ducem Phalanthum adsumunt filium Arati, qui auctor Spartanis fuerat iuventutis ad generandam subolem domum remittendae, ut, sicuti dudum patrem eius nascendi auctorem habuissent, sic ipsum spei ac dignitatis suae haberent. cf. Turs. II p. 300, ubi imprimis Plauti similis usus dicendi docetur.

etiamnunc et adhuc coniunctiones iam apud Ciceronem interdum, deinde apud Livium, maxime autem Taciti seriorumque scriptorum aetate non de praesente scriptoris ipsius tempore usurpatae sunt, sed de isto, quo res a scriptore narratae agebantur, ideoque fere idem valent, quod „etiamtunc.“ Qua in re scriptor cum quodam animi vigore

se ipsum narrandarum rerum quasi aequalem fingit. cf. Turs. I. p. 160. Boett. p. 32, ubi permulta scriptorum testimonia afferuntur. Etiam apud Justinum talis harum coniunctionum notio invenitur 8, 4, 7. de Graecis Philippum in se ipsos invicem advocantibus belli inferendi gratia: Foedam prorsus miserandumque spectaculum Graeciam etiamnunc et viribus et dignitate orbis terrarum principem, regum certe gentiumque semper victricem et multarum adhuc urbium dominam alienis excubare sedibus aut rogantem bellum aut deprecantem. Quem locum nonnulli non intelligentes „etiamnunc" in „etiamtunc" mutare voluerunt, alii vero ex voce „adhuc" temerariam de Justini aetate coniecturam fecerunt. vid. ed. Gron. p. 223.

eventilare 44, 1, 10. Huc accedunt et marinae aurae undique versus assidui flatus, quibus omnem provinciam penetrantibus eventilato terrestri spiritu praecipua hominibus sanitas redditur, i. e. aëre, qui terram premit, per penetrantes marinos ventos exagitato ideoque purgato. Praeter Justinum etiam Columella et Plinius hoc verbo usi sunt.

exercitium 7, 2, 6. milites exercitio quotidiano indurati; dictum est pro exercitatione, quo solo vocabulo Cicero utitur. Sic etiam Vell. Tac. Gell.

exhibere aliquem omisso pronomine personali nonnunquam apud posteriores significat id, quod apud Ciceronem: se praestare alicui sc. fratrem, ducem simil. Justin 8, 4, 4. Thessali orant Philippum, ut professum adversus Phocenses ducem Graeciae exhibeat. 27, 2, 10. pro fratre hostem imploratus exhibuit. — Deinde exhibere etiam est alere, sustentare. 9, 2, 7. exhibere populum alimentis. 11, 10, 9. exhibere vitam misere. 22, 1, 8. Qua de notione Justino et iurisconsultis usitatissima haec recte annotat Forcellinus: notio inde

oritur, quod qui alit eius, quem alit, praesentiam et statum exhibet et praestat.

exinterare sive exenterare (ἐξεντερεύειν) significat eviscerare ausweiden. 1, 5, 10. Epistola exinterato lepori inseritur. Usurpavit ante Justinum hoc vocabulum Plautus in Epid. 2, 2, 2. et 3, 1, 1 (= cruciare).

exorare paulo insolentius dictum significat prohibēre, exorando aliquem pervincere, ne quid faciat. 9, 2, 4. aegre a filii caede exoratus.

expositio apud solum Justinum legitur de infantibus, quo pereant, a parentibus foede desertis vel abiectis. 1, 4, 9. audita infantis expositione. Addas 1, 5, 4. Verbum ipsum „exponere" haud raro a Plauto Terentio Cicerone hoc sensu usurpatur.

fabrica cum sit apud Ciceronem (n. d. 2, 13; 1. 10) aliosque plerumque idem, quod ipsa ars, qua quid ex ferro, aere vel alia materia fingitur, unde fabrica aeraria, ferrea, apud Justinum aliam assumpsit notionem. 36, 4, 4. aerariae artis fabricae se tradit. Hoc loco vox, quae est fabrica, non tam artem ipsam, quam studium artis alicuius significat, nostrum Beschäftigung mit etwas. Simplicior profecto et ad vulgarem dicendi usum magis accommodatus esset locus, si uno verbo „artis" sublato sic legeretur: „aerariae fabricae se tradit", sed omnes codices concensu suo priorem confirmant lectionem.

fatuari dicuntur ii, qui divino spiritu impleti per furorem futura praedicunt, quae verbi interpretatio apud ipsum Justinum 43, 1, 8 legitur. Etiam a Seneca (lud. de morte Claudii) hoc verbum usurpatur, sed alio sensu = ineptire.

festinato idem, quod festinanter 38, 10, 11. „cum equites festinato misisset." Utuntur hac adverbii forma praeter hunc Columella, Plinius, Quintilianus, Suetonius.

fingere cum vulgo simulandi notionem habeat, apud

Justinum 35, 3, 3. significat revera suscipere aliquid. Eadem notio a vulgari usu remota vocabulo inest apud Plautum in Captivis 2, 1, 13. et apud Senecam cons. ad Mar. 26; vid. etiam ed. Gron. p. 524.

g e n e r significat apud Justinum 18, 4, 6. sororis maritum, Schwager. Praeter hunc etiam Nepos (Paus. 1. 2) vocabulum hoc sensu insolentiore usurpavit.

g e n u s pluribus Justini locis poetarum more pro subole positum est 2, 4, 27. O r y t h i a auxilium a Sagillo rege Scythiae petit: genus se Scytharum esse. 17, 3, 19. qnae et ipsa genus Aeacidarum erat. Haec vocabubi notio e graeco sermone ducta esse videtur cf Catull. 61, 2. Eurip. Cycl. 104 de Ulixe: δριμὺ Σισύφου γένος.

g e r m e n apud poetas tantum Lucretium Vergilium, Ovidium et apud scriptores serioris aetatis Plinium aliosque praesertim poetas invenitur. Significat Justini loco 18, 3, 19, prolem sive stirpem: exstirpato servili germine.

g r a t u l a b u n d u s 6, 3, 13. velut patriae gratulabundus. Liv. Suet.

i m p o s s i b i l i s 2, 4, 18 imperare aliquid quasi impossibile. Habent hoc vocabulum etiam Quintilianus, Appuleius, Ulpianus. Macrobius.

i n a u d i t u s more argenteae seriorisque aetatis etiam a Justino usurpatur de eo, cui non facta est potestas causam suam defendendi 22, 3, 7. Sed haec callida commenta Poenorum et sententias inauditas mors Hamilcaris praevenit.

i n c e d e r e latente in sensu accusativo idem est, quod intrare 34, 3, 1. mittitur Popilius ad Antiochum, qui abstinere illum Aegypto aut, si iam incessisset, excedere iuberet.

i n t r a c t a b i l i s idem, quod inhabitabilis 24, 4, 2. loca intractabilia frigore. Usurparunt hoc vocabulum etiam Vergilius, Seneca trag. Gellius.

inspirari verbum passivum apud Justinum de iis, qui divino spiritu impleti et accensi res futuras praenuntiant. 43, 1, 8. Unde adhuc, qui inspirari solent, fatuari dicuntur. 18, 5, 7. vates inspirati. Sic etiam Quintilianus 2, 5, 8. 5, 14, 32.

insularis adiectivum posterioribus tantum scriptoribus Justino Ammiano Marcellino aliis usitatum est; 32, 2, 2. substantivi vice fungitur atque significat templi custodem. Templa enim, ut omnia aedificia, quae ab aliis prorsus secuncta erant, insulae vocabantur, quare eorum inquilini erant insulares. (cf. Beckker. Gallus 1, p. 39.) De templi custodibus vocabulum a Justino tantum usurpatum est.

iterato pro iterum multis Justini locis invenitur. cf. 5, 4, 2. 5, 9, 14 11, 7, 11. 15, 2, 6. 16, 2, 1. 18, 1, 11. 21, 2, 6. 22, 7, 8. 43, 4, 4. Modest. Tertull.

iuxta saepius apud Justinum, quam apud alios argenteae aetatis scriptores recentissimo usu pro „secundum" positum est. 1, 7, 1. iuxta nocturnum visum. 2, 12, 25. iuxta praeceptum Themistoclis. Addas 12, 3, 11. 36, 1, 6. Eadem notione erat praepositio apud seriores iurisconsultos, quos vid. in Tursell. II. p. 542.

laetitia vox tralata notione = luxuria vel copia alicuius rei, quia copia rerum bonarum eos, qui inspiciunt, laetos reddit. 44, 4, 14. In hac (Hispaniae parte) tanta pabuli laetitia est, ut ... Eodem modo Columella 4, 21 et 24

magnitudo = praestantia apud posteriores tralata notione, ut nos quoque absolute dicimus die Größe des Mannes. Sic apud Justin. 1, 4, 5. 2, 15, 19. 12, 16, 4. 14, 5, 12.

manifestare = palam facere vel potius testari 20, 4, 13. in iuventute quoque, quantum profligatum

sit, victi feminarum contumaces animi manifestant. Add. 11, 3, 10. 24, 6, 10. 41, 1, 2. Usurpavit ante Justinum hoc verbum Ovidius met. 3, 105

mansiones proprie sunt diversoria seu loca, ubi iter facientes noctu quiescunt. Unde itinera nonnunquam mansionibus distinguuntur et mansio ponitur pro itinere unius diei (Forc.) Sic Justin. 13, 8, 5. His persuadet, ut continuatis mansionibus laeto Eumeni superveniant. Plin. Suet.

marcere = proprie torpere, deinde etiam ad animum refertur, sic Just. 30, 1, 3. otio ac desidio corrupti marcebant. Praeter Lucretium Livium Ovidium posteriores modo exhibent vocabulum, neque id raro.

medela = remedium, curatio 11, 1, 7. quis rebus veluti medela quaedam interventus Alexandri fuit. Sic Quint. Gell. Appul Auson.

messis proprie frumenti collectionem significat, nonnunquam autem a poetis Augusteis et a scriptoribus posterioribus etiam de frugibus iam collectis usurpatur Justin. 24, 7, 6. prohibiti agrestes oraculis feruntur messes vinaque villis efferre.

ministerium = 1) opera vel munus ministri vel famuli. 23, 1, 8. sine ministerio servili Addas 32, 3, 16. 44, 4, 13. 2, 13, 10. = 2) officium vel munus quodcunque. 31, 5, 8. ministerium consilii sui offerre. Verg. Hor. Ovid. posteriores.

moles apud Justinum 22, 3, 9. idem est, quod nisus, labor: „victus maiore mole reparaturus bellum Syracusas petit." Hac tralata vocis significatione e lexicographorum auctoritate primi usi esse videntur Vergilius (A. 1, 39) et Livius (25, 11 m.), quos secuti sunt plerique scriptores posteriores, imprimis Tacitus, de quo vid. Boett. p. 309.

mox saepissime apud scriptores, qui post Livium vixe-

runt, quodcunque tempus posterius nec distincte definitum designat ideoque non differt a vocabulis, quae sunt „post" vel „postea." Ita praeter Quintilianum Tacitum Suetonium etiam Justinus 2, 4, 4. horum uxores cum viderent exilio additam orbitatem, arma sumunt finesque suos submoventes primo, mox etiam inferentes bella defendunt. Add. 9, 7, 3. 12, 12, 11. cf. Turs. II. p. 658.

obiectus, 1, 8, 2. regina rata hostibus obiectu fluminis fugam difficiliorem. i, e. eo, quod flumen hostibus fugientibus erat obiectum. Quam vocem etiam Lucretius et Vergilius usurpant, sed paucis modo locis, multo cerbrius seriores Plin. Tac. Gell. qui quidem plerumque sextum modo vocabuli casum proferunt vid. Boett. Lex. Tac. proleg. p. LVIII.

obligatio propria significatione apud solum Justinum est, qui quidem hoc vocabulum de difficultate linguae ad dicendum non satis expeditae usurpat 13, 7, 2. cui nomen Battus propter linquae obligationem fuit. Tralata eiusdem vocis notio Ciceroni, imprimis autem iurisconsultis usitata est.

obsidio de hominis custodia 2, 12, 6. Quin vos in haec nostra castra ex ista obsidione transitis? Add. 15, 1, 3. 39, 1, 1. Alii huius notionis auctores extant nulli

opacitas = loci umbrati natura ac condicio. 36, 3, 5. Sed non minor loci eius apricitatis, quam ubertatis admiratio est, quippe cum toto orbe regionis eius ardentissimus sol sit, ibi tepidi aëris naturalis quaedam ac perpetua opacitas inest. Totum locum hîc apposui, quod ei difficultas quaedam ad sensum pertinens editoribus nonnullis inesse videbatur. Quamquam enim omnium codicum lectiones (cf. Ieep. com. crit. p. 144) ad vocabulum, quod est

„opacitas," redeunt, tamen Abrahamus Gronovius aliique scripserunt „apricitas" nimirum verbo praecedente „apricitatis" permoti simulque putantes verba „aëris naturalis quaedam ac perpetua opacitas sanum non praebere sensum. Sed rectissime Icepius vocem „opacitas" e codicum auctoritate restituit atque locum ita interpretatus est, ut dicat voce, quae sit opacitas, indicari causam, cur regio illa fuerit aprica." Vallis enim illa, cum semper arboribus sponte ortis obsita esset, fructa est perpetua opacitate, quacum coniuncta erat perpetua apricitas, quod ardentissimi solis ardores a valle arboribus prohibiti in aëra tepidum minuebantur. - Col. Plin.

opinio idem, quob fama vel rumor 8, 3, 6 mittit, qui opinionem sererent regem locare templa. Addas 18, 5, 17. 12, 8, 2 23, 1, 12. 25, 2, 10. 41, 4, 9. — Suet.

orbitas cum exprimat apud alios statum ac condicionem aut parentum post amissos liberos, aut liberorum post amissos parentes, apud unum Justinum idem valet, quod viduitas. 2, 4, 4. Horum uxores cum viderent exilio additam esse orbitatem.

Ostia, orum 34, 3, 8. Ostiis Sic inter alios codices etiam optimus Puteaneus. — Liv. — Quam vocabuli formam Cicero aliique non usurpasse videntur, sed aliam in „a.. primae declinationis signum desinentem, quae est Ostia. cf. ep. ad fam. 9, 6, 1. ad Quint. fr. 3, 2, 1 Liv. 22, 11. Plin 3, 5, 9. Forma igitur non constat.

paganus argentea aetate saepe idem est, quod civis militique opponitur. 26, 2, 5. obvius ei fuit cum XXX milibus paganorum — Juv. — Plin. Suet. iuriscons.

pánificium proprie est panis confectio, deinde etiam ipse panis. 20, 2, 7. deam panificiis placant. Similiter Celsus et Suetonius.

parricidalis = ad parricidium pertinens 27, 1, 10. parricidale scelus. 37, 1, 4. parricidale

venenum i. e. venenum, quo propinquus a propinquo tollitur, quae dictio poetarum sermoni proprior est. Eadem ratione 39, 3, 1. parricidales discordiae. Quint. Flor. posteriores

penetrabilis sensu passivo 4, 1, 2. Terra fistulis ita penetrabilis, ut ventorum tota fere flatibus pateat. Est autem vocabulum ex poetarum usu maxime Vergilii et Ovidii in argenteae latinitatis copiam verborum receptum.

perpes = perpetuus vel totus. 5, 7, 6. perpeti nocte fortunam publicam questibus iterant. 12, 16, 5. perpetes supra culmen domus sederunt i. e. nihil temporis intermittentes. Usi sunt primi hac breviore adiectivi forma Plautus et Pacuvius (cf. Non.), a quibus deinde scriptores serioris aevi in suum converterunt usum.

perseverare passive et transitive usurpatur a Justino 12, 6, 15. illi quatriduo perseverata est inedia. Eodem modo Symmachus in epist. 10, 76.

pervigilia, ae 24, 8, 14. maximum pervigiliae malum; at pervigilium 13, 3, 8. Alii scriptores fere omnes ponunt pervigilium.

poena apud seriores scriptores interdum idem est, quod molestia, quippe quae cum poena coniuncta esse soleat. 3, 5, 2 post longam poenarum patientiam bellum restaurant. 11, 14, 11. occurunt Alexandro octingenti Graeci, qui poenam captivitatis truncata corporis parte tulerunt. Aeque Seneca trag. Plinius alii.

poenalis = ad poenam pertinens. 38, 9, 9. Demetrius in Hyrcaniam poenalem sibi civitatem remittitur. i. e. in eam provinciam, ubi poenas sibi ipsi impositas subire debebat. Adiectivum est apud solos posteriores scriptores.

porro nonnullis Justini locis plane idem est, quod verum, vero, autem. vid. 2, 10, 3. 3, 5, 5. 9, 4, 6.

14, 3, 7. Sic porro oppositionis indicandae causa a posterioribus tantum usurpatur. cf. Zumpt § 348. Quint 2, 3, 5. 2, 17, 8. alibi.

praebitio de earum rerum, quae publice imperantur, collatione 38, 10, 8. cum gravari se copiarum praebitione civitates viderent. — Aur. Vict.

praedicare = supra memorare apud seriores modo scriptores. 43, 4, 7. Quint. Tac. Suet.

praesumtio = opinio de aliqua re, ante quam haec ipsa eveniat. 3, 4, 3. Cum contra praesumptionem suam annis decem in obsidione teneretur. 11, 5, 8. Similiter apud Senecam, Plinium alios. Apud Ciceronem est praesumptio terminus technicus philosophicus = πρόληψις.

pridem cum apud Ciceronem significet, „multo ante" a Justino notione prorsus contraria de tempore proxime praecedente usurpatum idem valet, quod „paulo ante." 12, 6, 7. Cuius notionis solus Justinus extat auctor e lexicographorum auctoritate.

proculcare = pedibus calcare. 38, 10, 3. argenti certe aurique tantum, ut etiam gregarii milites auro caligas figerent proculcarentque materiam. 44, 4, 4. Verg. — Ovid. — Phaedr. posterores.

procliator 15, 4, 19. Elephantus procliator insignis fuit. cf. Tac. ann. 2, 73. dial. de orat. 37.

proprietas apud posteriores maximeque iurisconsultos idem valet, quod possessio vel dominium alicuius rei. Justin. 2, 7, 7. inter Athenienses et Megarenses de proprietate Salaminae insulae prope usque interitum dimicatum fuerat.

prorsus a Justino frequentius, quam ab aliis usurpatum coniungitur et cum particulis et cum adiectivis vulgari notione = omnino. Sic primum quidem crebro legitur: prorsus quasi 1, 7, 16. 2, 12, 9. 8, 1, 6. pror-

sus ut 2, 1, 4. 2, 2, 14. cf. Plin. 14, 3, 7. Gell. 2, 13, 1. Deinde prorsus augendae adiectivorum notioni inservit his locis 5, 7, 11. feliciores prorsus. 7, 5, 7. indignum prorsus. 8, 4, 7. foedum prorsus. 9, 4, 10. mira prorsus audacia

prosapia = genus, cui aliquis ortu adiunctus est 14, 6, 11. „pro gloria veteris prosapiae." Hoc vocabulum, quod Quintilianus inst. 1, 6, 40 inter verba valde oblitterata et ab ultimis temporibus repetita numerat, primum invenitur apud Plautum (Curc. 3, 23) et Catonem; deinde Sallustius antiquitatis studiosus eo utitur (Iug. 85, 10) quem ex posteriorum scriptorum numero secuti sunt Suetonius, Appuleius, Ammianus Marcellinus alii

pudibundus = 1) valde pudens, pudicus 38, 6, 10 quae omni studio occultanda pudibundo viro erant. = 2) pudendus 23, 4, 5. Maternum illi genus sordidum atque adeo pudibundum erat, ut . . . Hor. Ovid., deinde posteriores.

purificare 10, 3, 2. regiam cognatorum caede replet. Atque ita veluti purificato regno bellum Cadusiis infert. Verbum serioribus tantum scriptoribus maxime Plinio Suetonio Gellio usitatum est.

qualitas, quod vocabulum Cicero finxit pro graeco ποιότης quodque non vulgi, sed philosophorum sermoni proprium esse vult, argentea latinitatis aetate in vulgarem scriptorum sermonem transiit. Justin. 1, 2, 2. lineamentorum qualitas. Aeque Col. Plin. Quint.

qualitercunque = quomodocunque 2, 11, 11. meminerint qualitercunque proeliantibus cadendum esse. cf. Colum. 2, 10, 2. et 11, 3, 34.

reatus est condicio ac status, in quo reus est. Justin. 4, 4, 4. brevi post tempore revocato ad reatum Alcibiade, i. e. ut Athenis reus esset. Quintiliano teste instit. 8, 3, 34. Messala primus hac voce usus est, deinde etiam Martialis, Appuleius, iurisconsulti.

r e c o g n o s c e r e nonnunquam apud scriptores argenteae latinitatis idem valet, quod recensere (mustern). Justin. 3, 1, 7. r e c o g n i t u r u s e t n u m e r u m m i l i t u m e t i n a r m i s i n d u s t r i a m s i n g u l o r u m. 43, 4, 11. p e r e g r i n o s r e c o g n o s c e r e. Pariter Colum. et Suet.

r e g i a de regiae domus inquilinis, ut etiam nos loquimur der Hof. 30, 1, 2. R e g i s m o r e s o m n i s s e c u t a e s t r e g i a 30, 1, 10. Petr.-Tac.

r e s t a u r a r e = i n s t a u r a r e neque de alia re, quam de bello renovando usurpatum est. 3, 5, 2. 20, 2, 6. 31, 3, 8. 37, 1, 8. Tac. serioresque, sed etiam Liv. 5. 52. 9.

s a g i t t a r e = sagittas iaculari 41, 2, 5. equitare et sagittare docent. Add. Curt. 7, 5. Solin. 19.

s a u c i u s tralata ex poetarum more notione significat apud Justinum interdum idem, quod e b r i u s 1, 8, 8. I n s u e t o s b a r b a r o s v i n o s e o n e r a r e C y r u s p a t i t u r. D e i n d e s a u c i o s o p p r i m i t. 24, 8, 1. G a l l i h e s t e r n o m e r o s a u c i i. Sic etiam Martialis nonnullis locis.

s c r u t a t o r est apud Justinum 38, 1, 10. is, qui manibus aliquem pertractat, ne arma furtiva caedis faciendae causa afferat. Usurparunt vocabulum praeter hunc Lucanus, Statius, Quintilianus, Suetonius.

s e n e c t a pro altera forma, quae est senectus, perraro apud Ciceronem, frequenter autem apud veteres poetas comicos, Augustei aevi poetas scriptoresque posterioris temporis omnes. Justin. 14, 3, 10 i n i n o p i s e n e c t a.

s p i r a m e n t u m (Luftloch) 4, 1, 6. ubi acrior per spiramenta cavernarum ventus incubuit; eadem ratione Vergilius, Ovidius, Plinius. Ex poetarum igitur usu vocabulum in sermonem scriptorum prosae orationis abiit.

s t a g n a r e tralata notione = m u n i r e 37, 2, 6. s e a d v e r s u s i n s i d i a s s t a g n a r e. Veget. de arte veter, 1. 18. Notio densandi verbo inest apud Justinum 36, 3, 7. b i t u m i n e a q u a o m n i s s t a g n a t u r.

successus idem, quod temporis decursus. 1, 8, 14 continuo totius temporis successu. Alium non addit Forcellinus auctorem.

supergredi bis tralata notione legitur pro verbo vulgo usurpato, quod est superare. 42, 2, 3. Mithridates claritatem parentum animi magnitudine supergreditur. 44, 5, 6. si quidem (Hannibal) utriusque res gestas supergressus universam Hispaniam domuit. — Sen. Colum. Plin. Tacit. similes.

supervivere 28, 3, 3. Olympias quoque non diu filiis supervixit. Cuius verbii etiam Plinius Florus Appuleius sunt auctores.

susceptor idem, quod redemptor 'εργόλαβος = Entrepreneur eines Bauwerks 8, 3, 8. mittit, qui opinionem sererent regem Philippum magna pecunia locare muros et ut per praecones susceptores sollicitarent. Haec vocabuli notio Justino tantum propria esse videtur.

versificator 6, 9, 4. versificatores meliores quam duces laudantes. cf. Quint. 10, 1, 9.

vicinalis 41, 1, 9. Parthi gravibus Scythicis et vicinalibus bellis vexati. Si Livium excipis, posteriores tantum hoc adiectivum usurparunt; sic Seneca, Quintilianus, alii.

vir apud poetas ac deinde apud scriptores argenteae aetatis saepe idem valet, quod maritus. Justin. 11, 11, 3. Nam mater eius Olympias confessa viro suo Philippo fuerat. Addas 14, 5, 2. 18, 6, 5 et 7. Ter. Horat. Ovid. Petron.

unitas est nomen abstractum saepissime ad indicandas universas rei cuiusdam partes, quae in unum coeunt corpus, a serioribus scriptoribus usurpatum. Sic Justin. 2,

1, 14. si mundi quae nunc partes sunt, aliquando unitas fuit.

Pars II.

Jam sequitur altera dissertationis de Justini elocutione pars, qua quaecunque grammaticarum rerum ratione habita in Justini libris videbantur notatu digna, omnia quam potui diligentissime congessi. Qua in materia disponenda eundem, qui in plerisque grammaticis libris observatur, ordinem secutus sum.

Auxilio autem mihi fuerunt maxime hi libro praeter Ruddimanni institutiones grammaticae latinae et Frotscheri editionem Justini:

1) Reisig's Vorlesungen über lateinische Sprachwissenschaft, herausgegeben von Haase.
2) Muelleri disputatio de casuum apud Justinum usu. progr. Budissae 1859.
3) Ausführliche lateinische Grammatik von Konrad Leopold Schneider. Berol. 1819.

Grammatica formalis.

cap. I. de declinatione prima.

Quae de Justini usu in declinandis nominibus dicenda videntur, fere omnia pertinent ad graecorum nominum, quae a grammaticis propria appellantur, declinationem.

1) Ac primum quidem nonnulla graeca nomina, quae tertiae declinationis formis efferuntur, ut *Κρότων* et *Σαλαμίς*, Justinus insolenter latinis formis instruxit ita, ut signum primae declinationis latinae in a desinentis affigeret ra-

dici nominis graeci, unde fit „Crotona" et „Salamina" cf. Schneider II. p. 271.

20, 4, 5. Crotonam venit 20, 4, 17. cum annos viginti Crotonae egisset. Sic quidem Bongarsius aliique scripserunt, sed lectiones non certae sunt, cum aliae extent in plerisque manuscriptis „Crotona" et „Crotone" cf. com. crit. p. 104. „Salamina" legitur 2, 4, 7 et 44, 3, 2.

Aliis locis negligentius nomen totius regionis pro urbis, quae in ea est sita, nomine positum esse videtur. Sic invenitur „Babylonia" saepissime pro solita forma „Babylon" 1, 2, 7. 1, 10, 15. 12, 13, 1. alibi. Sed etiam forma accusativi „Babylonam" vel in optimis libris habet locum 12, 10, 7. 12, 13, 6. 20, 4, 3 alibi, ubi Jeepius quidem invitis libris scripsit „Babylona", quod num iure fecerit, magnopere dubito. Eodem modo usurpata est vox „Sidonia" 11, 10, 8. ubi urbis nomen exspectatur; et „Sidon" 18, 3, 4.

2) Deinde latina primae declinationis terminatione instructa sunt graeca quaedam nomina, quae in ας et ης desinunt. Ita legitur casu primo Leonida 2, 11, 2 et 9. Perdicca 7, 2, 1. 13, 6, 1. 13, 6, 10. 13, 6, 13. Mida 11, 7, 14. Oropasta 1, 9, 10. Alia aliorum exempla collegit Schneider II. p. 29 et Reisig p. 68.

Contra graecam formam accusativi Justinus posuit 13, 7, 5. Cyran. 31, 8, 1. Aenean, quae maxime poetis usitata est.

3) Accusativi formae in „en" a nominibus graecis, quae tertiam declinationem sequuntur, ductae hae mihi notandae videntur: Sophoclen 3, 6, 13. Demosthenen 4, 4, 11. Alcibiaden 5, 4, 9. Tissaphernen 5, 2, 5.

4) Paulo insolentior est genitivus „Orestae", pro alia forma, quae est „Orestis." Schneider II. p. 40.

cap. II. de declinatione secunda.

1) In declinandis etiam huic classi quae addicta sunt nominibus graecis Justinus certam quandam regulam non observavit. Scripsit enim 6, 3, 1. Pisandrus, cum aliis locis forma vulgo recepta in „er“ desinens legatur. 9, 8, 11. 11, 3, 5. Alexander; 14, 5, 4. Cassander — Tum modo graecam, modo latinam nominativi et accusativi terminationem, us = *ος* - um = *ον*, profert. Sic graeca nominativi forma invenitur his locis 2, 4, 1. Ilinos, 12, 6, 3. 12, 12, 8. Clitos; 13, 7, 2 Battos, 13, 6, 9. Crateros, 20, 2, 1. Epeos; 4, 4, 3. Lamachos 21, 6, 3. Tyros. cf. Schneider II. p. 74. — Graecus accusativus legitur 2, 13, 8. Abydon; 18, 3, 5. Tyron; 38, 5, 8. Chreston. cf. Schneider II. p. 80. Multo vero saepius, si universum Justini usum spectaveris, latinas formas proferri intelliges. Huc addas formas „Jonii" 2, 5, 13; 5. 2. 9; et „Jones" 2, 5, 2.

2) Deinde, quod perraro in libris scriptorum prosae orationis invenitur, genitivus pluralis, qui ductus ab adiectivis in „us“ desinentibus contractus est in ûm, apud Justinum habet locum 11. 15. 10. precari (se) superum inferumque numina. cf. Reisig p. 107. adn.

cap. III. de declinatione tertia.

1) Nominativus nominum graecorum, quae in *ων* desinunt, apud Justinum nonnunquam hanc terminationem conservat, cum plerumque littera „n" ab aureae aetatis scriptoribus abiiciatur. cf. Schneider II. p. 277. Sic legitur Zopyrion 12, 2, 16, Hephaestion 12, 12, 11. Parmenion 17, 3, 16. Amphiction 2, 6, 9.

2) Deinde de accusativi nominum graecorum forma monendum est Justinum multo praeferre graecam terminationem in „a" et „in" desinentem formis latinis. 5, 1, 3. 6, 7,

2. Lacedaemona; 5, 10, 4. Eleusina; 13, 5, 10. Sicyona; 18, 3, 4. Sidona; 12, 2, 14. Acheronta; 6, 1, 7, et 9. 6, 4, 5. Conona; 2, 15, 18. Cimona; 9, 10, 4. Parmeniona; 12, 10, 1. Polyperconta; 2, 3, 4. 37, 3, 2. Zopyriona; 7, 6, 11. Troada; 14, 5, 2. Olympiada; 4, 4, 11. Eurymedonta; Alia aliorum exempla collegit Schneider II. p. 294. Addas praeterea Persepolin 1, 6, 3. Charybdin 4, 1, 13. Nabin 30, 4, 5. Nabidem 31, 3, 1 et 3. cf. Schneider II p. 297.

3) Pro vulgari forma genitivi „pignoris" a voce, quae est „pignus" ducti apud Justinum 26, 1, 8 forma paulo insolentior „pigneris" legitur. Tum hic notanda est mira genitivi forma in „i" desinens, quae nonnullis Justini locis in nominibus graecis tertiae declinationi ascriptis conspicitur. Sic inveniuntur formae „Candauli" 1, 7, 19 et „Hystaspi" 1, 10, 6 pro solitis, quae sunt Candaulis et Hystaspis. (De genitivo „Pericli", qui a nonnullis in contextu conservatur, vid. com. crit. p. 26.) Respondet latina terminatio in „i" graecae terminationi in ου, quam nomina illa proferunt genitivo primae declinationis graecae *Κανδαύλης, ου.* Sic. optime Schneider II. p. 163 rem illustrat; aliter Theodorus Bergkius, qui illam fermam ad quintam quae dicitur, declinationem refert cf. plebi genitivus = plebei.

4) Accusativus pluralis nominum graecorum apud Justinum hic et illic in graecam terminationem desinit 2, 12, 1. Jonas. 9, 7, 9. Phrygas. 17, 3, 16. 11, 13, 8. 7, 2, 8. Macedonas. 26, 3, 1. Acarnanas. 44, 4, 1. Titanas. — Accusations in is (=) legitur 14, 1, 7. „Sardis profectus est", quam vocem etiam Priscianus huius usus demonstrandi causa affert.

5) Quod ad genitivum pluralis pertinet, nomina feminini generis in „tas" desinentia apud Justinum plerumque

terminatione „ium“ praedita sunt. Sic simultatium, civitatium, calamitatium.

6) Dativus pluralis quîs pro solita forma „quibus” est apud Justinum 11, 1, 7.

cap. IV. de declinatione quinta.

De hac pauca modum dicenda sunt, quae pertinent ad genus vocis, quae est „dies.“ Haec apud Ciceronem similesque plerumque generis masculini est, nisi notionem temporis continuati assumpserit vel significet diem ante statutam. Justinus autem fere ubique nulla omnino ratione notionis habita genus femininum huic vocabulo attribuit. Sic exempli gratiia 1, 6, 1. 1, 6, 5. 1, 10, 8. 9, 4, 1. 18, 2, 9. postera die.

Cap V. de coniugatione verborum

in Justini libris haec modo sunt, quae notanda videntur:

1) Creberrime brevior forma tertiae personae perfecti plurali numero usurpati „ere“ invenitur, qui usus tam late patet, ut forma Ciceroni fere sola usitata „erunt“ valde sit repudiata in perfecto historico. Exempla huius usus, qui praeter ceteros maxime Sallustio et Tacito proprius est, e quattuor tantum Justini libris haec collegi: in fine sententiae leguntur 1, 2, 8. fuere, 1, 2, 13. tenuere, 2, 3, 1. mansere, 2, 3, 14. prohibuere, 2, 4, 2. traxere, 2, 4, 14. occupavere, 2, 4, 31. extitere, 2, 5, 5. accessere, 2, 6, 2. crevere, 2, 6, 5. docuere, 2, 6, 7. tradidere, 2, 8, 5. dedere, 3, 6, 2. adhibuere, reparavere, 3, 7, 13. fecere, 4, 3, 5. misere, 4, 3, 6. petivere. — Etiam media in sententia haec forma invenitur cf 1, 6, 6 ut acclamavere omnes, 1, 9, 19. septem tantum conscii fuere huius coniurationis, 2, 3, 5 Romanorum audivere, non sensere arma, 2, 11, 7. audito re-

gis imperio discessere ceteri. — Rarius initio sententiae posita est, ut 1, 1, 6. Fuere quidem temporibus antiquiores Sesosis Aegypti et Scythiae rex Thanaus; 1, 7, 14. Fuere Lydis multi ante Croesum reges. — Quae res cum universe signum linguae iam paululum debilitatae sit, optime mihi ad leve expeditumque dicendi genus, quale Justinus prodit, convenire videtur. cf. Haase adn. 269 ad Reiss. p. 224.

2) Formae minus usitatae desiliit et desilierint pro aliis, quae sunt desiluit, desiluerint apud Justinum inveniuntur 1, 10, 9. 12, 9, 5.

3) Forma obsoleta „cludi" pro claudi legitur 15, 3, 13.

4) Denique pro verbo deponenti „fabricari," quod apud optimos prosae orationis scriptores est, Justinus 2, 12, 12. activum verbum fabricare usurpavit, aeque praedare 23, 1, 10. cf. Reissig p. 245.

Jam haec, quae in grammatica formali de Justini usu monenda videntur, si brevi percensemus animo, ea hac maxime re constare dicemus, quod ille nulla certa scribendi lege proposita modo linquam latinam ampliaverit graeca quaedam nomina, quae etiam apud Romanos ingenuas terminationes sibi conservaverant, latinis formis instruendo, — Salamina, Leonida — modo in contrariam partem graecas formas praetulerit in iis vocabulis, quae latina ratione declinari solebant, Ilinos, Abydon, Parmenion, Conona — denique formas quasdam minus usitatas repetitasque vel a scriptoribus qui ante Ciceronem viguerunt vel a poetis usurpaverit. — superûm inferûmque, pigneris, cludi. —

Syntaxis.

cap. VI. de genitivo.

1) Genitivi, qui dicitur obiectivus, haec exempla apud Justinum mihi notabilia esse videntur: 15, 4, 21 in bellum Antigoni descendit h. e. contra Antigonum suscipiendum. Addas 3, 6, 10. 42, 4, 1. 5, 4, 17. non Siciliae illis adversa pugna in ore est, sed Graeciae victoria i. e. de Graecia reportata. Frequenter enim vocabula „bellum, proelium, pugna" coniuncta sunt cum genitivo, qui significat vel eum, adversus quem quid actum, vel etiam locum, ubi quid gestum sit.

2) Tum Justinus poetarum seriorumque scriptorum morem secutus haud raro adiectivi genus neutrum plerumque numero plurali positum loco substantivi usurpavit. Cuius rei testimonia satis erit haec afferre: 1, 7, 15. matrimonii reticenda; 2, 10, 24. convexa vallium aequabat; 7, 2, 2. mortis postrema memorabilia fuere; 18, 3, 10. medio noctis; addas 16, 4, 11. 31, 2, 3. 38, 1, 8. 41, 1, 11 et 12. Jam Livius ac Sallustius tali modo locuti sunt, maxime vero poetae Augustei. cf. Ruddim II. 64.

3) Adiectivorum relativorum, quae genitivum asciscunt, numerus haud ita magnus apud Justinum extat, sed insunt iis, quae insolentiora videntur. Sunt autem haec: insatiabilis 1, 8, 3. parcus 6, 8, 5. certior consilii 2, 13, 7. refertus 2, 14, 6. suspectus 5, 9, 12. contentus victoriae 42, 2, 1. cf. com. crit. p. 164; prodigiorum sagacissimus i. e. in prodigiis interpretandis 36, 2, 8. ut alio Justini loco 1, 9, 14 legitur: in coniecturis sagax; „dubius consilii" 2, 13, 1. patiens 36, 3, 6. Quae si contuleris cum iis, quae a Johnsono (Ruddim. II. p. 73) et ab ipso Ruddimanno p. 76 collecta

sunt, nonnulla iis e Justini libris addenda esse videbis, ut „sagax" et „contentus."

4) Simili ratione verbum „miserari" coniunctum est cum genitivo, quo obiectum indicatur, ubi priores accusativum ponunt. 43, 4, 8. mulier quaedam miserata formae (adolescentis) insidias aperuit. Add. 5, 9, 7. 15, 3, 6.

5) Genitivi partitivi haec exempla afferenda videntur: 12, 16, 8. Alexander sub Aristotele doctore inclito omnium philosophorum crevit. Hoc loco Justinus insolenter gradum positivum superlativi notione instructum cum genitivo coniunxit, qua de re disputat Reis. p. 643. 11, 2, 2. Alexander Lyncistarum i. e. qui in Lyncestis, gente quadam Macedonica, natus erat. 5, 9, 6. Philen Atticorum finium occupat, i. e. Philen, quae in finibus Atticis sita erat.

6) Aliquoties pronomen personale genitivo positum est pro possessivo nomini substantivo, ad quod refertur, subiungendo. 22, 2, 5. peculiaria in Hamilcarem officia sui repromittens i. e. quae a se proficiscantur. 24, 6, 10. multa igitur ibi et opulenta regum populorumque visuntur munera quaeque magnificentia sui reddentium vota gratam voluntatem et deorum responsa manifestant. i. e. magnificentia, quae muneribus illis erat peculiaris. Pariter 37, 2, 3 Stella cometes magnitudine sui quartam partem coeli occupaverat et fulgore sui solis nitorem vicerat. Qua de re recentioribus potissimum scriptoribus propria Haase in adn. Reis. p. 657 sic bene disserit: gerade die Eigenschaften des innern Wesens und die Erscheinung nach Außen, wodurch sich eben dieses zu erkennen giebt, werden oft mit sui ausgedrückt.

7) Inveniunter apud Justinum urbium quaedam declinationis secundae nomina, quae interrogatione, ubi quid factum sit, proposita contra vulgarem regulam casu ablativo, non genitivo posita sunt. 2, 13, 5. Sed Graeci audita regis fuga consilium ineunt pontis interrumpendi, quem ille Abydo veluti victor maris fecerat. 5, 4, 1. Jam Sesto Mindarus et Pharnabazus Lacedaemoniorum duces exspectabant. 18, 4, 3. cum interim rex Mutgo Tyro decedit filio Pygmalione et Elissa filia heredibus institutis. 20, 3, 9. Eadem die, qua in Italia pugnatum est, et Corintho et Athenis et Lacedaemone nuntiata est victoria. Quam rem ut clarius illustremus, fortasse utile erit totam de structura nominum urbium doctrinam, quatenus pertinet ad interrogationem per „ubi" factam, breviter exponere. Ab initio casus primitivus, qui locativi nomine insignitus atque dativo simillimus in litteram „i" desinebat, statuendus mihi esse videtur in omnibus interrogationibus per „ubi" factis. Quem casum testantur nonnullae eius reliquiae ut „ruri", apud Justinum 19, 2, 8. Carthagini, apud alios Tiburi, Anxuri. cf. Serv. ad Aen. IV. 224. Existimandum igitur est primis linguae temporibus vulgo esse dictum „Carthagini" zu Carthago. Etiam in recentiore structura nominum, quae primae et secundae declinationis sunt, „Romae" zu Rom, „Brundisii" locativus cognosci potest. Terminatio enim, quae nunc est „ae," priore tempore erat „ai" et locativus secundae declinationis sonavit „oi" Brundisioi, quae terminatio deinde eiecta littera, „o" in „i" transiit. Temporis autem decursu mutatio in hac structura facta est. Detulerunt enim Romani munus locativi in tertia declinatione ad ablativum, in prima autem et secunda declinatione casum

proprie locativum, Romae et Brundisii, qui iis linguae originem plerumque ignorantibus genitivus esse videbatur, revera conservarunt. Praevalente autem ablativo prioris locativi loco in lingua Latina factum est, ut nonnunquam etiam in secunda declinatione ablativus pro genitivo poneretur, unde apud Justinum legitur: Abydo, Sesto; Tyro, Corintho. cf. Zumpt § 298. adn. 1. Reis. p. 627.

8) Jam restant nonnulla genitivi exempla, quae paulo difficiliora explicatu nunc singula tractabo. 7, 6, 3. cum inde inopia continui belli et exhausti regni immaturam aetatem tironis urgerent." Hunc locum Duebner in editione sua ita bene interpretatus est: „inopia, quam continuum bellum peperit et qua regnum exhaustum est." Difficultas loci in eo latet, quod primum „inopia continui belli" pro „inopia e continuo bello orta" est locutio minus definita, deinde autem duae, quibus haec sententia continetur, partes per particulam „et" quasi pares coniunguntur, cum posterior „inopia exhausti regni", quippe qui status ortus sit ex inopia continui belli, e ratione logica priori subiungenda videatur. Rem sic sese habere maxime declarat Bongarsii viri doctissimi coniectura „inopia continuis bellis exhausti regni", sed cum omnes codices de illa, quam protuli, lectione consentiant, nihil est mutandum. 16, 3, 10. classem cum magna parte exercitus naufragio repentinae tempestatis amisit" eadem ratione explicandum est, qua inopia continui belli. Est enim nihil aliud, quam naufragium ex repentina tempestate ortum. cf. Reis. p. 650. — 9, 1, 5. Philippus longa obsidionis mora exhaustus pecuniae commercium de piratica mutuatur. Sensus est haud dubie: piratica exercenda effecit, ut pecunia inde comparata milites res ad victum necessarias emerent. Junctura autem „commerci-

um pecuniae" poetico quodam colore aspersa significat proprie der Verkehr mit dem Gelde; genitivus igitur est obiectivus. 9, 1, 6. captis igitur centum septuaginta navibus mercium et distractis inopiam paululum recreavit." Naves mercium significant naves mercibus confertas. Sic etiam Orosius 3, 13 locum explicavit.

cap. VII. de dativo.

1) De iis locis, quibus Justinus more potissimum poetarum, si verba genere passivo proferuntur, dativum praepositioni, „a" substituit, in eo dicam capite, quo praepositionum apud Justinum usus exponetur.

2) Deinde Justinus aliquoties adiectivum et substantivum cum eodem casu coniunxit, quem verbum regit, a quo illa sunt derivata. Sic „studiosus" cum dativo construitur 9, 8, 4: fuit rex armorum, quam conviviorum apparatibus studiosior" Aeque Plaut. mil. 3, 1, 207; deinde „debitor" 11, 15. 7. perferri haec Alexandro iubet se nullis in eum meritorum officiis maximorum illi debitorem mori; postremo „obtrectator" 31, 6, 1. Huic sententiae obtrectatores amici regis erant. Huius modi structurae apud Ciceronem perrarae sunt, deinde autem a poetis frequentatae etiam in prosa oratione Taciti aliorumque saepe inveniuntur. cf. Reis. p. 669.

3) Poetae ac scriptores potissimum seriores graecum sermonem imitantes interdum pronomen „idem" dativo iunxerunt. Sic etiam Justinus 2, 4, 11. Virgines in eundem ipsis morem venationibus exercebant. (sc. Amazones). cf. Haase adn. 410 Reis. p. 416 et 674. Haud alia est structura adiectivi, quod est „diversus." Asciscit enim apud Justinum et particulam comparativam „quam" (6, 3, 6) et dativum 35, 5, 4. si quidem diversum ceteris mortalibus esset illud et hominum et belli genus. cf. Frotscher III. p. 301.

4) Jam restant verba nonnulla nobis notanda, quae apud Ciceronem similesque praepositiones asciscunt, apud seriores autem, quorum numero inest Justinus, cum solo dativo coniunguntur. Ita „mitigari alicui" mit Jemandem sich aussöhnen fortasse apud Justinum 9, 7, 6. 31, 4, 4. et Tacitum solos legitur. Addas etiam contrarium mit Jemandem verfeindet werden 6, 1, 7. rex Tissapherni alienatus. Deinde verbum „haerere" tralata notione sich einem fest anschließen poetarum more cum solo dativo iunctum est. 29, 4, 8. lateri eius haerentes 30, 2, 5. eodem modo „provolvi" 11, 9, 14. provoluti genibus Alexandri," qua structura etiam Tacitus saepius usus est. cf. an. 11, 30. 12, 18. 14, 61. Boett. p. 393.

cap. VIII. De accusativo.

1) Quam saepe Justinus solum accusativum admiserit, quo locus designetur, in quem fit motus, in sequente capite, quod est de praepositionibus, demonstrabitur.

2) Verba potiri, vesci, fungi interdum accusativum pro ablativo assumunt. Sic 9, 7, 10 ultionem potita est; 12, 7, 10. regnum potitus 6, 4, 8. Thebani potiti victoriam 11, 8, 4 urbis potiundae cupido cf. com. crit. p. 146. add. 37, 1, 4. Accusativum Haase in adn. Reis. p. 687 e prioribus prosae orationis scriptoribus apud solum Hirtium inveniri dicit. Deinde discrimen accusativi et ablativi verbis quidem non satis explicabile fortasse hoc esse coniectat, ut verbum „potiri" cum accusativo coniunctum plerumque significet occupationem rerum corporearum — urbem potiri — cum ablativo autem constructum tum ponatur, ubi de rebus animo tantum percipiendis agatur. Cui explicationi contrarii sunt Justini loci 9, 7, 12. et 6, 4, 8. paulo supra allati. cf. etiam Rudd. II. p. 195. Sic etiam in verbis,

quae sunt „vesci“ et „fungi“ usurpandis scriptores seriores, cum accusativum et ablativum promiscue ponerent, nullum omnino notionis discrimen statuisse puto. Apud Justinum vesci cum accusativo iunctum est 2, 6, 5. arare glandem vescentibus monstravit. 44, 4, 11. mitiora vesci docuit; postremo fungi 9, 1, 1. diem fungitur, quo casu poetas priores maxime Plautum et Terentium, quibus accedit Luciclius, deinde scriptores seriores fere omnes in hac locutione usos esse constat. cf. Haase adn. Reis. p. 691.

3) Tum inveniuntur verba nonnulla, quae alias plerumque intransitiva notione sunt, apud Justinum transitiva. Sic „triumphare” 2, 15, 12. 41, 1. 5. maxime a poetis Augusteis cum accusativo obiecti construitur; deinde illacrimare 11, 12, 6. cuius verbi structura intransitiva est rarissima; tum hortari cum accusativo rei constructum est 14, 1, 5. „induxit, ut bellum omnes hortarentur”, quae structura rara quidem est apud probatos scriptores, sed tamen etiam apud Ciceronem hic et illic locum habet; sequitur contremiscere 32, 4, 10. cum Romano tonantem (Hannibalem) bello Italia contremuit.” Praeter Justinum etiam Horatius carm. II. 12, 8 et Seneca ad firmandam hanc structuram in lexicis afferuntur. Accedit sudare, quod verbum accusativo rei conunctum germanicam notionem „ausſchwitzen“ prodit. 36, 3, 4. Hae (arbores) certo anni tempore balsamum sudant.” Pariter apud poetas Augusteos, apud Tacitum, alios. denique nocere 44, 4, 6. Itaque cum puer non solum non noceretur; eadem ratione est apud Vitruvium et Solinum. Hoc denique loco notanda mihi videtur structura verbi poenitere, quod personaliter usurpatum est 11, 3, 3. quem priorum poetarum, maxime Plauti usum seriores scriptores repetierunt. Eodem modo 13, 1, 5. 31, 6, 6. 38, 10, 11

cap. IX. De ablativo.

1) Interdum Justinus in indicando loco, ubi quid est vel fit, exspectatam e vulgari usu praepositionem „in" poetarum more omisit. 8, 4, 7. alienis excubare sedibus. 18, 13, 12. ubi dies adventare coepit editissimisque culminibus urbis oriens splendere. 37, 2, 8. Mithridates per silvas vagatus diversis montium regionibus pernoctabat. cf. Madv. § 272. 6. 2.

2) De Justini omissione praepositionum, quibus nomina terrarum regionumque construuntur, si quaeritur, unde quid fiat, videas, quae de praepositionibus paulo infra dicta sunt.

3) Justinus ablativo temporis si quaeritur, quantum temporis spatium quid duraverit, admodum frequenter usus est, quae quidem structura apud scriptores seriores saepissime invenitur pro accusativo, quem priores plerumque hac in re ponere solent. cf. Madv. § 235 adn. 3· Reis. p. 711. 3, 4, 3. cum annis decem in obsidione urbis teneretur. 1, 6, 17. Medi regnarunt annis CCCL. Addas 1, 2, 13. 1, 8, 14. 2, 11, 4. 3, 7, 13. 4, 1, 12.

4) Ad modum deinde, quo quid fit, designandum Justinus promiscue et ablativum solum et praepositionem „cum" usurpavit nullo omnino, ut mihi videtur, notionis discrimine. 1, 9, 6. qui cum contemptu religionis grassatus etiam adversus deos fuerat. 7, 2, 5. Argeus moderate et cum amore popularium administrato regno successorem filium reliquit. cf. 12, 8, 17. 30, 4, 2. 39, 3, 11. Tum Cleopatra execratione parricidarum mandata violatis numinibus ultione sui decedit. 10, 3, 3.

5) Denique locutiones nonnullae propter ablativi structuram

notabiles mihi esse videntur, quarum prima est: „mutare aliquem aliquo" einen mit einem andern vertauschen, einen an eines andern Stelle setzen. 5, 5, 4. ducem Alcibiadem Conone mutare, quae haud scio an apud Ciceronem hac notione instructa inveniatur de personis, quarum altera alteri substituatur. Verbum compositum „permutare" Martialis simili ratione usurpat 9, 23, 12. aliquem Ganymede permutare. Item poetarum more dictum esse videtur: „praecipitare aliquem aliqua re", omissa praepositione „ex" vel „de". 32, 1, 5. praecipitatus equo cf. Ovid. met. 15, 518 currum scopulis praecipitare. Curt. 6, 6, 32. se petris praecipitare. Extremo loco attingam verbum „vindicare", quod cum solo ablativo construitur 7, 5, 7. vindicare aliquem scelerum suorum suppliciis.

cap. X. de praepositionibus.

1) Praepositio „in" sequente accusativo a Justino peculiari modo posita est saepissime ita, ut eâ finis designetur, cuius causa quid fit. Quem usum haec exempla illustrabunt: 4, 1, 17. hoc in dulcedinem fabulae compositum i. e. ad fabulam dulcem reddendam. 12, 13, 10. ferrum in remedia poscit Addas praeterea 2, 14, 16. 11, 5, 4. 12, 1, 6. 30, 4, 18 32, 3, 10. 33, 3, 11. 43, 3. 10. Deinde praepositio „in" insolenter cum adiectivo, quod est „parcus" coniuncta invenitur 41, 3, 10. „Parthi parci in cibum" pro vulgari structura, quae est ablativus vel genitivus nominis vel etiam praepositio „in" sequente ablativo. Indicatur autem hac constructione quam potissimum partem moderatio vel continentia Parthorum spectaverit. cf. Turs. II. p. 314. Neque alio modo exprimitur relatio quaedam praepositione „in" his in structuris: 32, 3, 1. in patrem

negligens. 44, 1, 4. in omnia genera fecunda est terra.

2) „in" sequente ablativo nonnullis Justini locis legitur, ubi accusativus exspectatur. 1, 5, 5. Astyages animum minacem dumtaxat in illo (i. e. quo erat in illum impletus) fregit. 8, 6, 7. Philippus scelestus in utroque (fuit) 1, 6, 8. Astyages meriti sui in Harpago oblitus. 1, 7, 10. aliquid crudelius in Croeso consulere. Legitur igitur his locis pro accusativo ablativus, quo indicatur qua in re vel persona quid factum sit nicht „gegen wen", sondern an wem etwas geschehen sei. Non re, sed forma tantum ac specie haec structura ab altera, quae est vulgaris, discrepat. In hac enim motionis, in illa quietis notio praevalet.

3) pro ab uno Justino cum adiectivo „propensus" construitur. 16, 1, 2. regina Thessalonice propensior pro Alexandro.

4) „usque" a Justino ponitur plerumque omissa praepositione „ad." 1) loci indicandi causa, quo alicuius rei extensio finitur 1, 1, 6. usque Aegyptum 5, 11, 11. usque terminos patriae. 7, 1, 4. 41, 6, 9. 42, 2, 9. 2) pariter temporis ratione habita 13, 3, 31. usque adultam eius aetatem. 2, 4, 32. 2, 5, 8. 32, 2, 6. 3) tralate ad gradum quendam designandum. 2, 7, 7. usque interitum. Postposita est praepositio semel 1, 1, 5. populos terminos usque Libyae perdomuit. Paucis modo locis „in" vel „ad" additur 1, 8, 10. (ad.) 25, 4, 9. (in), quarum vocularum omissio poetis et serioris aetatis scriptoribus usitata est, sed excipienda sunt urbium nomina, quae fere semper vel optimi scriptores cum sola voce „usque" coniungere solent. Jam adiiciam nonnullos Justini locos, quibus praepositio contra usum vulgarem aut omissa aut apposita est.

5) Solus dativus poetarum more substitutus est praepositio-

ni „a" post verba genere passivo usurpata his locis: 1, 2, 8. non contenta acquisitos viro regni terminos tueri. 12, 6, 15. ob haec illi quatriduo perseverata inedia est. Addas 11, 12, 7. 28, 8, 14; plerumque vero addita est praepositio cf. com. crit. ad 2, 6, 12. p. 14.

6) Accusativus solus haud paucis locis omissa praepositione „ad" vel „in" poetarum more positus est post verba, quae motum, quo quis contendit, exprimunt. 31, 2, 3, Hannibal rus urbanum contendit. 5, 1, 2. Alexander in exilium Elidem profectus est. 15, 2, 7. 2, 6, 14. 3, 3, 12. 7, 1, 7. 15, 2, 7. 20, 4, 3. 23, 2, 6. 28, 4, 6 et 10; 33, 2, 5. 44, 3, 3. Quae structura praesertim exhibetur, si verbum ad regionis cuiusdam nomen refertur. cf. Madv. § 232. adn. 4.

7) Eodem modo ablativus solus legitur haud paucis locis pro praepositione „a" vel „de" vel „e", si quaeritur, unde quid fiat. 12, 1, 4. epistolae ei Macedonia redduntur cf. Madv. 275 adn. Tum vero maxime praepositio omittitur, si verbum „pellere" praecedit, quod quidem etiam Cicero cum solo ablativo coniungit, sed haud quaquam ita frequenter, ut Justinus, qui fere semper praepositionem omittit. cf. Madv. 263 et 275. Sic 20, 2, 3. pellere Graecos Italia. 28, 2, 7. 28, 1, 4. matrimonio pulsa mulier. Addas 30, 4, 9. 41, 1, 9. 42, 2, 12. Tum etiam haec verba sic constructa extant: venire 38, 3, 7. Scythia quoque venire exercitum iubet; denique tollere 39, 2, 5. templo Jovis solidum ex auro signum tolli iubet." Ad quae iam plura addenda essent exempla, si fidem haberem codicibus deterioribus, qui praepositionam omittunt etiam his locis: 12, 13, 9; 16, 4, 9; 19, 3, 2; 21, 1, 5. — Liberior

est in universum ablativi usus, quem quidem scriptores recentiores a poetis mutuati sunt.

8) Dativus denique, qui vulgo ethicus nominatur, uno Justini loco nunc legitur pro praepositione „in" sequente accusativo, vel etiam pro solo accusativo 25, 4, 4. „cum copias Cherroneso transposuisset." Qua cum structura Wopkensius quidem similes comparavit locos, qui leguntur in Hygini fabulis et apud Dictyn Cretensem, sed tamen mihi lectio dubitationem, num vera sit, vehementer movet, cum ista mihi nimis artificiosa ac poetica, neque ad Justini rationem dicendi satis quadrare videatur. Quare iam Gronovius coniecturam fecit per se optimam. Posuit enim accusativum illius nominis graeca forma fictum „Cherroneson." Ceterum inspicias doctorum virorum de hoc loco sententias. Frotscher III. pag. 228 et 29. com. crit. p. 121.

9) Grammatici docent (Madv. 275. 1) urbium nomina, ubi quaeratur, unde quid fiat, omissis praepositionibus ablativo casu poni. Quam regulam etiam a Cicerone nonnunquam neglectam Justinus his locis offendit: 4, 3, 1. veterani ab Himera in auxilium vocati. 15, 2, 1. ab Apollonia rediens. 18, 7, 7. cum a Tyro reverteretur. 43, 1, 10. Aeneas ab Ilio in Italiam venit. 43, 5, 8.

cap. XI. de temporibus.

Cum universe constet omnes rerum scriptores multo liberiore temporum se invicem excipientium structura esse usos, quam oratores, nihil omnino mirum est, si Justinus quopue vulgares de temporum usu regulas nonnunquam violasse videtur. Quae vero de hac re dicenda habui, fere haec sunt:

1) Ut primo loco de temporum usu in enuntiationibus, quarum altera alteri pari vi adiuncta est, nonnulla proferam,

pro varietate et alacritate, qua est Justini sermo, praesens historicum creberrime ad res legenti quasi praesentes reddendas usurpatum est, quod quidem perfecto saepissime in eadem enuntiatione excipitur.
1, 8, 8. nam cognitis his Cyrus reversus per noctem saucios opprimit omnesque Scythas interfecit. 38, 1, 8 — 10. Igitur cum in aciem eduxisset peditum LXXX milia nec Ariathi minores copiae essent, incertum belli timens consilia ad insidias transfert .. scrutatori ait .. atque ita sevocatum iuvenem interficit. .. regnum Cappadociae filio tradidit. 1, 9, 9, quo nuntio accepto magus occupat facinus prostratoque, Smerde fratrem suum subiecit Oropasten. — Quibus temporibus id discriminis mihi intercedere videtur, ut praesenti indicetur singulum quoddam actionis momentum, perfecto autem proferatur id, quod inde effectum sit quodque per longius temporis spatium duraverit. — Interdum tempora etiam sic se invicem excipiunt, ut primo praesens, deinde perfectum, denique iterum praesens positum sit. 3, 1, 8. itaque cum inter ceteros et ipse Artabanus armatus assisteret, rex simulat se breviorem loricam habere, inbet Artabanum secum commutare... exuentem traiecit, tum et filios corripi iubet.

2) Inversa ratione nonnunquam perfectum praecedit, sequitur autem praesens historicum. 22, 4, 5. omnes deinde servos libertate donatos sacramento adegit eosque navibus imponit, ceteros omnes ad tutelam patriae relinquit. 31, 6, 5,

3) Neque raro Justinus infinitivum historicum ad res paene oculis subiiciendas singulasque describendas usurpat, cui modo perfectum, modo praesens historicum praecedit vel etiam succedit. 2, 3, 7. gens laboribus et bellis

aspera (de Scytis) nihil parare, quod amittere debeant, nihil victores praeter gloriam concupiscunt. 36, 4, 2. Post hanc scelestam violentiae rabiem squalidam vestem sumit, barbam capillumque in modum reorum submittit, non in publicum prodire, non populo se ostendere, non domi laetiora convivia inire aut aliquod signum sani hominis habere, prorsus ut poenas pendere manibus interfectorum videretur. 41, 3, 4. 5, 7, 4.

4) Imperfectum negligenter pro plusquamperfecto positum esse videtur 13, 2, 11. Ptolemaeus recusabat regem Arridaeum non propter maternas modo sordes, quod ex Larissaeo scorto nasceretur, sed etiam propter valetudinem maiorem, quam patiebatur. — Jam quod ad orationem obliquam pertinet, Justinum in temporum consecutione frequenter ab usu vulgari abiisse cognoscimus.

5) Sic pluribus locis perfectum coniunctivi pro imperfecto excipit perfectum, quod praecedit, historicum idque tum plerumque fit, cum sententia secundaria coniuncta sit cum sententia primaria particulis „ita-ut", „adeo-ut," cf Madv. 382, 4. 1, 10, 9. tanta moderatio fuit ceteris, ut equis desilierint et regem salutaverint. 2, 9, 11. 3, 4, 1. 22, 7, 7. Sic etiam Cornelius Nepos saepe perfectum pro imperfecto exhibet.

6) Deinde imperfectum interdum excipitur praesente in sententia secundaria. 2, 4, 11. Virgines in eundem ipsis morem exercebant inustis mammis, ne sagittarum iactus impediatur. 2. 11, 11. 6, 2, 13.

7) Postremo notandi sunt loci nonnulli, quorum in sententiis secundariis fit temporum mutatio ita, ut in iisdem modo imperfectum et praesens, modo perfectum et im-

perfectum, modo denique perfectum et plusquamperfectum ponantur, nulla alia quam sermonis variandi causa extante. 5, 7, 12. non classem, in quam confugiant, superesse, non exercitum, cuius virtute servati possent moenia exstruere. 2, 10, 5; 3, 1, 6: 22, 5, 3.

cap. XII. de indicativo.

1) Quamquam Justino quoque, ut aliis rerum scriptoribus, usus paulo liberior in modis usurpandis concedendus est, tamen in libris eius nonnulli inveniuntur loci, quibus indicativus in sententiis obliquae orationi insertis paulo durius insolentiusque pro coniunctivo positus esse videtur. Hae enim sententiae eius modi sunt, ut vix cogitare possimus eas e scriptoris ipsius animo vel totius loci nexu esse prolatas. Pleraeque autem ita explicandae sunt, ut statuatur scriptorem interdum orationem obliquam cum quadam animi alacritate permutasse oratione recta ideoque indicativum rectae orationi aptum posuisse. Sic 11, 15, 9. gratiam illis eam futuram, quam ipse victor volet. 11, 15, 10. Alexandro referre se, quam solam moriens potest gratiam. 16, 1, 17. Quam ob rem etiam Philippum Alexandrumque, si quis manium sensus est, non interfectores suos ac stirpis suae, sed ultores eorum Macedoniae regnum tenere malle Addas 2, 1, 9. 18, 4, 13. 19, 3, 3. 22, 5, 9. 24, 6, 5. 28, 2, 5. 29, 2, 9. Praeterea videas, quae alio loco, qui est de Trogi ipsius fragmento, paulo infra proferam.

2) Coniunctio „dum" indicativum, quem vulgo assumit, etiam in oratione obliqua retinet his locis: 9, 2, 11. dum Byzantium obsidet, vovisse se statuam Herculi, ad quam in ostio Histri ponendam se venire. 22, 8, 6.

cap. XIII. de coniunctivo.

1) Inversa ratione Justinus coniunctiones nonnullas interdum cum coniunctivo coniungit, quae plerumque indicativum adsciscunt. Sic „donec" et „quoad" coniunctiones, quamvis causa consilii seu propositi indicandi non adsit, tamen coniunctivo iunctae sunt (Madv. 360 adn. 2) his locis: donec 4, 1, 15. nam aquarum ille concursus raptum secum spiritum in imum fundum trahit atque ibi suffocatum tam diu tenet, donec per spiramenta terrae diffusus nutrimenta ignis incendat. Indicativus legitur 12, 6, 15. 16, 4, 11. cf. de hac particula Boett. p. 109. quoad 12, 9, 11. ex quibus multi caesi proeliumque tam diu anceps fuit, quoad omnis exercitus in auxilium veniret. 11, 9, 9.

2) Deinde Justinus more poetarum scriptorumque seriorum nonnunquam coniunctivum e coniunctionibus „tametsi" et „quamquam" pendentem facit. cf. Madv. 361. adn. 3. tametsi 8, 1, 10. Factum Phocensium tametsi omnes execrarentur propter sacrilegium, plus tamen invidiae Thebanis intulit. 18, 1, 5. 18, 7, 8. quamquam 2, 1, 5. Scytharum gens antiquissima habita, quamquam diu contentio de generis vetustate fuerit. cf. Boett. p. 111.

3) Etiam particulae, quae causam indicant „quoniam" et „quia" in Justini libris coniunctivum saepe regunt, sed talem, qui nihil omnino offensionis movet, cum eo indicentur causae non per se accipiendae ac perspiciendae, sed quae sumptae sunt ex animis aliorum aut ipsorum, qui agentes a scriptore inducuntur, aut lectorum, qui fortasse de rebus a scriptore narratis sententiam dicturi cogitantur. cf. 1, 5, 5. 29, 4, 4. 32, 1, 5.

4) Postremo loco notandus est is Justini usus, quo interdum more poetarum seriorumque scriptorum in simplici inter-

rogatione, quae ex verbo quodam pendet, particula „an" usurpata est pro aliis, quae sunt num, — ne, nonne. cf. Madv. 435 p. 422. Just. 11, 11, 9. rogat deinde. an omnes interfectores ultus sit. 32, 1, 9. venenum accepit quaesito prius, an Lycortas praefectus Achaeorum incolumis effugisset. 1, 9, 15.

cap. XIV. De infinitivo.

1) Verba nonnulla, quae notionem petendi hortandi compellandi habent quaeque e probatorum scriptorum usu particulas „ut" vel „ne" postulant, Justinus hic et illic cum infinitivo construxit secutus poetarum dicendi rationem. Quorum pauca tantum eâdem structura apud Ciceronem inveniuntur prolata, cuius usum exposuit Haase cf. Reis. p. 560. Sic leguntur infinitivo iuncta haec verba: admonere 2, 5, 4. rogare 1, 4, 9. hortari 12, 5, 6, persuadere 2, 11, 14. postulare 6, 2, 15. 7, 3, 2. 10, 2, 3. imperare 21, 2, 10. praecipere 3, 3, 6. 13, 5, 7. 14, 4. 21. 11, 9, 15. 12, 10, 7. impellere 2, 10, 20. 3, 1, 3. 5, 1, 4. compellere 1, 6, 15 9, 7, 6, Alioquin Justinus post rogandi, precandi, orandi verba solo coniunctivo uti solet. 7, 3, 4. rogat-abiret. 9, 4, 6. rogat-parcat. 1, 5, 9. 1, 6, 13. 1, 10, 19. 2, 11, 5 et 11. 5, 10, 3. 9, 12, 1. 28, 2, 13. 30, 3, 3.

2) Pro particula „quin" invenitur infinitivus post formulam „dubium est" 9, 5, 5. Quae structura valde quidem diversa est a Ciceronis usu, sed posterioribus, quibus etiam Livium aliqua ex parte addimus, saepissime est usitata. cf. Reis. p. 673, 674.

3) Ad consilium finemque, quo quid fit, indicandum Graecorum more infinitivus solus pro particula „ut" vel phrasi relativa positus est 18, 7, 7. missus erat decimas ferre Herculi ex praeda.

4) Tum poetarum magis, quam prosae orationis scriptorum ratione infinitivus pendet e voce contentus his locis: 1, 2, 8. si quidem non contenta terminos regni viro acquisitos tueri, Aethiopiam imperio adiecit. 21, 4, 5. contenti itaque cohibuisse (scelus) 21, 5, 4. 7, 6, 13. Jam reliquum est, ut de structura, quae continetur accusativo cum infinitivo coniuncto, pauca dicam.

5) Pro accusativo cum infinitivo coniuncto insolenter particula „quod" posita est post verba cognoscendi his locis: 1, 7, 9. cognito, quod bellum Croeso illatum esset. add. 2, 5, 13. 27, 3, 8. 8, 2, 11 immemores, quod illo deo usi fuerint. 25, 1, 7. ignarus, quod eorum animos ad opimam praedam sollicitabat. 40, 1, 2. itaque cum occurreret, (als ihm einfiel) quod rex implicitus bello esset.

6) Tum aliquoties verba „sperare, polliceri, vovere" particulam „ut" asciscunt pro accusativo cum infinitivo futuri coniuncto. Quae structura mihi non aliter explicanda esse videtur, quam ita, ut aut verba illa praegnanter esse dicta, aut sententiae cuiusdam ellipsin post ea esse factam statuamus. Sic praegnanti notione „vovere" legitur 21, 3, 2: voverant i. e. voto statuterant, ut virgines suas prostituerent. Ellipsis intelligitur 5, 3, 2. sperans, ut dux ab omnibus legeretur. i. e. effectum iri, ut, . . . 9, 2, 12. pollicetur, ut statua inviolata maneat i. e. se effecturum esse, ut . . .

7) Huc addendum est etiam a Justino, ut ab aliis scriptoribus, saepe omitti in huiusmodi structuris accusativum „se" vel „eum", si e praecedentibus verbis facile suppleri potest. Sic 8, 4, 11. 18, 5, 7. 31, 2, 9. 32, 3, 2 33, 3, 3. Cuius rei Cicero pauca tantum exempla, multo plura Sallustius Livius Curtius suppeditant.

cap. XV. de participio.

1) Brachylogia quaedam argenteae imprimis linguae aetati propria in hac re cognoscitur, quod participium futuri activi, cum apud Ciceronem propriam suam naturam temporis vel etiam finis, quo quis spectat, simpliciter indicandi conservet, apud Justinum haud raro hominum sententias modo fictas, modo veras ita adumbrat, ut loci, qui huc pertinent, germanice plerumque sic transferendi sint: indem er vorgab, er werde das thun, indem er glaubte, er würde in die Lage kommen. cf. Madv. § 424 adn. 5. Zumpt § 639. adn. Quam rem haec exempla illustrabunt: 9, 2, 1. Atheas auxilium a Philippo petit in successionem eum regni Scythiae adoptaturus, i. e. pollicitus se eum lato auxilio in regni successionem esse adoptaturum. 7, 3, 5. quo (patre) digresso mulieres quoque paululum e convivio evocat cultius exornaturus gratioresque reducturus. i. e. simulans se eas cultius exornaturum esse. 9, 2, 11. pacatum accessum ad religionem dei petens amicus ipse Scythis venturus i. e. quippe cum ipse amicus Scythis venturus sit, pacatum accessum sibi esse concedendum; add. praeterea 12, 2, 2. 14, 1, 7. 21, 1, 4.

2) Eadem e brevitatis studio ortae sunt formulae quaedam, quae continentur substantivo cum participio perfecti passivi coniuncto et pendente ex alio substantivo, quibus tota quaedam sententia vel notio verbalis exprimitur. cf. Haase ad Reis. p. 632. 1, 5, 6. in ultionem servati nepotis aus Rache dafür, daß sein Enkel erhalten worden war. (de Astyage.) 8, 5, 4. sed pactio eius fidei fuit, cuius antea fuerat deprecati belli promissio = das Versprechen, es solle der Krieg auf ihre Bitten unterbleiben. de re vid. c. 4, 6 et 10. 1, 9, 9. 2, 9, 12. 2, 4, 17. 12, 1, 5. 17, 2, 9. 31, 6, 6.

3) Munere ablativi absoluti fungitur interdum solus ablativus participii perfecti passivi ut apud alios scriptores, ita etiam apud Justinum. cf. Madv. § 429. Reis. p. 762. 38, 3, 6. intellecto. 43, 5, 6. petito. 1, 7, 9. cognito. 32, 1, 9. quaesito. Sic saepissime pronomen, quod subiecti loco est, ex verbis praecedentibus subintelligendum omittitur. 2, 3, 16. denuntiantibus. 7, 3, 3. contrectantibus. 8, 5, 10. verentibus. 13, 6, 13. profectis. 22, 6, 2. 23, 2, 5. 26, 1, 9. 39, 4, 2.

4) Haud raro denique Justinus participio perfecti verborum eorum, quae deponentia vocantur, sensum passivum attribuit. 7, 3, 2. executus. 7, 6, 5. aggressus. 8, 4, 4. professus. 8, 4, 5. expertus. 8, 5, 4. deprecatus. 22, 6, 4. consolatus. 30, 2, 4. comitantes passiva notione. cf. Ovid. Trist. 1, 9, 31. 38, 1, 7. quod ubi Ariathes junior moliri cognovit cf. Frotscher III. p. 383. 42, 1, 2. emensus 42, 2, 1. depopulata Parthia. 37, 3, 7. veneno periclitatus est i. e. petitus. 43, 2, 7. filii enixi sunt = geniti. Hoc ex numero quae verba deponentia etiam a probatis scriptoribus eodem sensu passivo instruantur, docet Reis. p. 247.

Jam pauca memoratu digna quae ad syntaxin ornatam pertinent, e Justini libris addere liceat. Itaque primo loco agam

cap. XVI. de numeris.

1) Notum est poetas saepissime pluralem substantivorum numerum praeferre singulari, quo rem in suas quasi partes distractam clariorem animo subiicerent. Quem poetarum usum scriptores recentiores ut multa alia ab iisdem profecta receperunt, qua re etiam Justinus aliquoties nu-

merum pluralem posuit, ubi singularem exspectamus. 1, 8, 9. Tomyris orbitatis dolorem in ultionis solatia intendit. 2, 11, 6. 2, 4, 20. duae tum sorores Amazonum regna tractabant. 9, 4, 17. regnare ille (Philippus) cum amicis nolebat, hic in amicos regna exercebat. 5, 11, 4. veniae patrocinia quaerere. add. 3, 7, 15 11, 12, 9. 12, 10, 3. 12, 13, 9. 15, 3, 6. 16, 1, 4. 22, 2, 3. Sic praesertim numerus pluralis substantivi, quod est „animus", saepe de una persona usurpatus est. 7, 3, 9. 17, 1, 11. 21, 6, 1. 31, 3, 6.

2) Pluralem verbi *κατὰ σύνεσιν* positum invenimus: 3, 4, 1. brevi civitas convaluit, ut, cum Messeniis bellum intulissent, gravissima se execratione obstrinxerint . . . 16, 4, 2. cum plebs flagitarent. 14, 4, 7. sequitur exercitus-omnia auspicia regis tradentes 25, 2, 6. exercitus pars, quae .. confugerant.

cap. XVII. de adiectivo et adverbio.

1) Graecorum more haec adiectiva pro adverbiis posita sunt: (cf. Reis. p. 395) tacitus 5, 1, 2. 8, 3, 9 12, 15, 11. 21, 2, 8. 16, 4, 7. 25, 2, 3. 31, 2, 8, 31, 4, 3. 38, 9, 4. improvisus 7, 6, 8. 12, 15, 11. obvius 28, 3, 2. securus 5, 5, 2. 6, 6, 6.

3) Praedicati loco adverbium pro adiectivo, quod exspectatur, verbo „esse" iunctum legitur 2, 13, 3: si aliter eventus fuerit 16, 2, 3. „nec spes frustra fuit." Quibus locis verbo „esse" maior vis, quam sola copulativa inhaeret, quippe quod adverbium asciscere possit. Negligentius autem adverbium pro adiectivo mihi positum esse videtur 17, 2, 13 „mutuo" pro „mutuas naves": ab Antigono Pyrrhus naves ad exercitum in Italiam deportandum mutuo

petit. Pyrrhus enim cum ipse naves non haberet, ab Antigono eas petit, scilicet ut opere, cuius causa petierat, perfecto illi redderet. Adverbium autem „mutuo" cum propria notione idem sit, quod „in vicem" vel „vicissim" ad eiusmodi sensum minime quadrat.

3) Tum Justinus Graecorum dicendi rationem imitatus aliquoties adverbium temporis cum substantivo coniunxit, quae quidem imitatio manca est, cum apud Latinos articulus, qui necessarius est in graeca buiusmodi structura, non extet 2, 12, 3. bellum inferre olim conditoribus vestris cogitatis. 6, 1, 3. militibus Cyri quondam regis instructior. 1, 4, 12. 22, 8, 4. Eadem ratione Livius haud raro loquitur.

4) Hoc denique loco mihi addere liceat, quae de pronominis structura dicenda habeo. Grammatici docent pronomina relativa et demonstrativa, si referentur ad totam quandam sententiam, non genere nentro poni, quod nos e linquae germanicae legibus hac in re usurpamus, sed eodem, quo est succedens substantivum (haec mea est patria cf. Madv. 313) Quam regulam a probatis scriptoribus rarissime neglectam Justinus his locis offendit genus neutrum usurpando: 30, 1, 10. haec primo laborantis regiae tacitae pestes et occultae fuere 44, 3, 6. si quando fulgure terra proscissa est, quod in his locis assidua res est (18, 3, 7. 43, 2, 9.)

cap. XVIII. de pleonasmo.

1) Interdum Justinus pleonasmum quendam admisit in consociandis compluribus particulis, quae eadem sunt notione. Sic denique ad extremum 12, 16, 2. 37, 1, 9. cf. Turs. II. 266. Neque Cicero hac verborum abundantia prorsus abstinuit cf. ad Quint. p. 716, in Verr. 1, 10, 28. pro Sexto 47, 100. tum deinde 2, 1, 19.

14, 1, 11. contra versa vice 13, 1, 7. mox deinde 1, 3, 4 cf. Turs. III. p. 660.

2) Tum particulae in protasi positae aliquoties in apodosi repetuntur aliis, quae eadem sunt notione 5, 1, 1. dum Athenienses bellum gerunt, interim ... 24, 1, 1. 30, 3, 5. 32, 1, 4.

3) Alia pleonasmi signa, quae quidem etiam apud alios eosque probatos scriptores extant, hac re continentur, quod voces „ante, rursus" interdum coniunctae sunt verbis, quae propositionibus „pro, prae, re" composita sunt 3, 7, 9. quod ante prospiciens. 5, 4, 12. 36, 1, 8. 39, 2, 8.

4) Huc denique addas locutiones nonnullas, quae nullam quidem offensionis ansam praebent, sed tamen dignae memoratu videntur 1, 9, 13. indulgentiae largitiones. 2, 1, 14. primordii origo. 7, 2, 6. gloria bellicae laudis. 16, 1, 15. stirps regiae subolis. Figura etymologica cognoscitur 37, 4 5. superbo responso respondere cf. 38, 7, 8. vocibus vocare.

cap. XIX. de zeugmate.

Huius figurae apud Justinum haud pauca extant exempla: 1, 9, 12. tributa et militiae vacationem permittunt i. e. tributum remittunt et militiae vacationem permittunt. 2, 4, 11. Amazones virgines non otio, sed armis exercebant i. e. virgines non otio frui sinebant, sed armis excercebant. 11, 9, 14. non mortem, sed mortis dilationem deprecantur." Hoc vero loco non opus est explicationis gratia verbum, quod apud Justinum non legitur, addere, cum ipsi verbo „deprecari" duplex eaque sibi contraria insit significatio, altera positiva, altera negativa. Sensus est: non mortem precibus avertere volunt, sed mortis dilationem petunt. Sic etiam verbnm vindicare duplicem habet notionem in eadem enuntiatione 3, 1, 9. —

Addas 13, 1, 7. Contra Macedones versa vice (Alexandrum) non ut civem ac tantae maiestatis regem, verum ut hostem amissum gaudebant. Accedunt 3, 3, 2. 11, 4, 9.

XIX de anacoluthis·

1) quae haud raro apud Justinum inveniuntur, cum brevi sit dicendum, primo tractabo ea, quae continentur suciecti mutatione ita facta, ut subiectum, quod incipit, omisso praedicato absolute ponatur nominativo, novum autem subiectum deinde in totam sententiam inferatur. 11, 7, 6 Percontatus eam, quem potissimum augurem consuleret, illa audita causa respondit. Exhibent codices omnes hanc scripturam, quam in plerisque veteribus editionibus emendatam videmus vario modo ita, ut in iis legatur aut „percontatur", aut „percontatusque est." 16, 5, 15.
2) Paulo alia est ratio anacoluthi 12, 6, 5. modo personam occisi, modo causam considerans pigere eum facti coepit." Hoc loco subiectum quidem ipsum sensus ratione habita non mutatum est, sed structura eius inflectitur; illud enim cum priore enuntiationis parte personaliter efferatur — considerans —, in posteriore impersonali modo redditur — pigere eum coepit. Alia aliorum exempla congessit Wopkensius apud Frotsch., sed idem non sine causa pronomen „eum" delendum esse censet. ita ut pigere verbum sit personale, qua de structura iam antea dixi. cf. 13, 1, 5.
3) Jam sequitur aliud, quod Jeepius in contextu servavit, anacoluthon, quod mihi quidem nulla ratione pro vero habendum videtur. Legitur enim e recensione Jeepiana 12, 6, 17. Multum profuere Callisthenis philosophi preces condiscipulatu apud Aristotelen familiaris illi (Alexandro) et tunc ab ipso

rege ad prodenda memoriae acta eius accitus.“ Quid hic sibi velit nominativus „accitus“ in eadem enuntiatione eademque condicione positus, qua adiectivum „familiaris“ sine ullo dubio casu secundo prolatum, nemo profecto intelligit. Quae scriptura nihil nisi foedum librariorum mendum est, nisi forte mavis omnia, quaecunque ab illis vitiata sint, anacoluthorum nomine defendere. Perspecta igitur re iam alii editiores locum emendarunt, e quibus Tanaquil Faber simpliciter „accitus“ in genitivum „acciti“ mutavit, cum alii testante Abrahamo Gronovio deleta particula copulativa „et“ scriberent „qui erat .. accitus.“

4) Deinde haud raro ablativi, qui dicuntur absoluti, apud Justinum ’*αναχολούθως* usurpati sunt ita, ut saepe iis positi sint locis, quibus alii casus pro relatione ad reliquas enuntiationis partes proferendi exspectantur. 2, 3, 16. Scythae XV annis pacatae Asiae immorati uxorum flagitatione revocantur per legatos denuntiantibus ni rediant, subolem se ex finitimis quaesituras. — Pro ablativo exspectatur genitivus, cum substantivum, ad quod participium hoc loco referendum est, secundo casu positum sit. — Neque aliter res sese habet 6, 2, 11. 7, 6, 6 8, 5, 10; 10, 2, 1; 11, 7, 11; 11, 10, 13; 13, 5, 4; 18, 1, 1; 23, 2, 5; 30, 3, 2.

5) Jam ad aliud anacoluthorum genus pervenimus tractandum, quod quidem etiam apud probetos scriptores passim invenitur. Nonnullis enim Justini locis cum verborum ambitus longior sit, abrupta oratione apodosis prorsus omissa est. Sic 12, 14, 1. auctor insidiarum Antipater fuit, qui cum carissimos amicos eius interfectos videret, Alexandrum .... occisum, se ... non tam gratum apud regem esse, quam invidiosum, a matre .. vexa-

tum. Huc accedebant .... Addas 43, 4, 3. Alio loco (3, 4, 3 cet.) ea periodi pars, quae apodosis esse debuerit, per coniunctionem „itaque" adnectitur ideoque novus incipit sermo.

6) Postremo mihi notabilis esse videtur locus quidam, cui duplex inest structura ita, ut nominativus cum infinitivo constructus transeat iu accasativum deindeque prior nominativi structura repetatur. 15, 4, 4. Laudice visa sibi est per quietem ex concubitu Appollinis concepisse, gravidamque factam munus concubitus a deo anulum accepisse, in cuius gemma anchora sculpta esset, iussaque donum filio, quem peperisset, dare. — Interrupta igitur legitima nominativi post verbum, quod est „videri' constructione scriptor media in sententia accusativum cum infinitivo coniunctum exhibet, quae structura pendet ex verbo quodam narrandi, quod in animo latebat. Deinde vero etiam hac, quae vixdum animum intraverat, cogitatione abiecta scriptor priorem nominativi structuram pro animi alacritate recipit. Similia etiam apud Ciceronem aliosque leguntur, cf. Tusc. 5, 8. Suet. Oth. 7, 10.

cap. XX. de vocabulorum abstractorum usu.

Poeticum quendam colorem Justini sermoni inesse cum ex iis, quae adhuc prolata sunt, perspicuum erit, tum elucebit e vario vocum abstractarum usu, de quo pauca nunc dicam.

1) Abstracta interdum pro concretis leguntur 30, 1, 5. legationes = legati. legationibus missis 8, 4, 8. clientela = clientes. eo se discordia redactos, ut adulentur sordidam paulo ante clientelae suae partem. 32, 8, 2. militia = milites. Antiochus cum omni militia interficitur.

2) Deinde nomina quaedam abstracta, quae subiecti munere funguntur, activam vim produnt poetarum more 5, 1, 6. omnia Graeciae regna ad extinguendum commune incendium concurrunt. 6, 5, 7. formido circumstrepit. 24, 4, 6. hortante successu. 4, 5, 4. 5, 4, 5. 9, 8, 6. 30, 4, 18; 42, 4, 16; 44, 5, 1. 9, 8, 6.

3) Tum nomina abstracta ad personas referenda saepius praedicati partes suscipiunt. 31, 1, 1. filius, qui praeda erat domesticis. 34, 1, 5. 41, 1, 4. Dativus legitur 3, 6, 4; 30, 4, 12; 35, 5, 5; 13, 3, 10. Thebanos odium esse omnium. Addas 8, 1, 4; 3, 1, 1. 2, 4, 27; 16, 5, 10; 17, 3, 20; 31, 8, 7.

4) Denique monendum est saepius a Justino poni pio adiectivis substantiva, quae illis respondent, qua re sermoni additur nota stili cuiusdam e cogitatione magis, quam e simplice animi indole orti. Hoc vero modo loquuntur praesertim scriptores recentiores, quorum cum dicendi genere ut in multis aliis, sic etiam in hac re nostri temporis scriptorum stilus congruit. 5, 2, 6. erat enim et aetatis flore et formae veneratione insignis. 38, 3, 11. orationem dignam duxi, cuius exemplum brevitati huius operis insererem 12, 2, 11. 11, 4, 9.

Jam e singulis iis, quae adhuc deJustini elocutione prolata sunt, satis manifestum fore spero nequaquam omnia illa labentis linguae vitia, quae Quintilianus, peritissimus talium rerum existimator, scriptoribus sui temporis haud immerito exprobravit, etiam in Justini dicendi genere animadverti. Nam cum ille (inst. 2, 5, 10 et 24; 4, 1, 58; 8, 3, 57, alibi) tres potissimnm res in aequalium sermone vituperet, quod primum sui ostentandi gratia orationem quam maxime obscuraverint necessariis ad intelligentiam

subtractis, deinde quod arripuerint insolitas voces ac structuras, postremo denique quod poetas eorumque liberiorem loquendi rationem plus iusto imitantes prosae orationi poeticum quendam colorem admiscuerint: postremum maxime, quod monitum est, opprobrium in Justinum quoque cadere, priora magna ex parte abesse mihi videntur. Hac in re Justinus similis est Livio, qui ideo medium obtinet locum inter probatos scriptores atque eos, qui post Augustum usque ad Hadriani tempora floruerunt. — Tum vero Justinus etiam subtiliori, quam antea fuit, loquendi rationi interdum studet, qua ipsa re signum serioris aevi iam ad cogitationem pronioris continetur. Quae vero alia insolentius dicta nec ex poetarum dicendi ratione profecta inveniuntur, ea omnia tribuenda sunt Justini tempori adhuc incerto, ad quod certius definiendum num pauca ista sufficiant, ii videant viri docti, qui totius latinitatis perfectam habent cognitionem. In universum autem si dicendi negligentiam qnandam in anacoluthis haud ita raris perspectam scriptori non graviori vitio verteris, sermonem bene labi concedes. Quin etiam vividissimus interdum est auctor et ad res animo clare subiiciendas aptissimus. Quod ut confirmem exemplis, sufficiet in memoriam revocare pulcherriman descriptionem condicionis animorum, qua fuerunt Athenienses, cum Alcibiadem exulem in urbem reciperent. (5, 4.) Ut denique aliud signum auctorum argenteae aetatis praestantissimum etiam in Justino ostendam, permultas velim animadvertas sententias singulis narrationibus insertas, quibus non modo sui ipsius opinionem de iis, quas narravit, rebus prodidit, sed etiam rhetoricam, quam habuit, artem exercuit, plerumque antitheseos figura usus. (cf. 2, 2, 11—15; 2, 10, 11; 7, 4, 7—10; 10, 1, 7; 13, 1, 14; 16, 2, 12.)

Restat, ut quasi appendicis loco promissam de Trogi Pompeii fragmento (38, cap. 4—7 incl) quaestionem instituam,

qua num similitudo isti, an dissimilitudo cum Justini excerptis stili ratione habita intercedat, paucis demonstrare conabor. Quam ad rem quaecunque hoc in fragmento insolentius dicta esse videntur, omnia deinceps afferam singulisque iis num simila extent in Justini exserptis, inquiram.

1) Ac primum quidem dicam in universum de grammatica forma, qua auctor per totum hoc fragmentum, quod continet nihil nisi orationem quandam Mithridatis ad milites habitam, usus est. Trogus enim cum teste Justino (38, 3, 11) in Livio et in Sallustio reprehenderet, quod contiones directas pro sua oratione operi suo inserendo historiae modum excesserint, obliquam hanc totam composuit. Qua de re quid sentiendum sit cum inter omnes conveniat, non opus est multis Livium et Sallustium defendere, sed iam alia est huius orationis nota, qua ipsa Trogi sententia de scriptorum illorum loquendi usu optime refellitur. Ille enim, quasi molestias orationis obliquae, si longius extenditur, statim ipse demonstrare velit, saepius coeptam constructionem negligit transeundo ad orationem directam ita, ut indicativum pro coniunctivo in enuntiatione secundaria ponat, nonnunquam etiam personam primam pro tertia exhibeat atque pronomina primae et tertiae personae inter se permutet. Cuius rei haec inveniuntnr exempla: 38, 4, 13. „ac ne veteribus immoremur exemplis, hoc ipso tempore universam Italiam consurrexisse. 38, 7, 8. tantumque **se** (Mithridatem) avida exspectat Asia, ut etiam vocibus vocet, adeo illis odium Romanorum incussit rapacitas proconsulum, sectio publicanorum . . . Sequentur se modo fortiter . . .“ Indicativus pro coniunctivo in enuntiatione secundaria legitur: 38, 4, 3. quia non id agitur, an liceat quiescere, consulendum esse . . . 38, 4, 9. occupaverant; consedere 38, 4, 10; ademerant 38, 5, 3; occupaverat, est 38, 5, 7; abstulerunt 38, 5, 9; domue-

rant, putaverunt 38, 6, 9; pacavit 38, 7, 2. Quod igitur Trogus ab aliis postulabat, ut orationes scriberent obliquas, id ipse iusta ratione praestare non potuit. Neque in hoc solum fragmento, sed etiam in Justini excerptis talia haud raro iis inveniuntur locis, ubi oratio obliqua usurpata est. Sic exempli gratia 11, 15, 9. Gratiam illis eam futuram, quam ipse victor volet. Alia huius rei exempla iam supra congessi aliqua ex parte. cf. 11, 15, 10. 16, 1, 17. 19, 3, 3. 19, 3, 5. 19, 3, 7. 27, 2, 5. (vid. de coniunctivo)

2) Tum 38, 5, 9. est locus, qui ex ablativo absoluto et accusativo cum infinitivo coniuncto ita compositus est, ut duabus his structuris ratione sensus habita subiectum quidem sit commune, accusativus autem ad infinitivum ex praecedente ablativo supplendus videatur. „dein populo Cappadocum pro libertate oblata Gordium regem orante ideo tamen tantum, quoniam amicus suus esset, non obtinuisse.“ Duabus in his structuris populus Cappadocum subiectum praestat. Quae structura quamvis omnibus fere codicibus firmata sit, tamen suspicionem mihi vehementer moveret, nisi similes structurae in Justini excerptis codicum consensu certissimae invenirentur. 2, 4, 24. 26, 1, 9. 39, 3, 10.

3) Legitur 38, 5, 10. „Nicomedem praecepto illorum (Romanorum) bellum sibi intuliise; quia ultum ierit se (Mithaedatem), ab ipsis ventum obviam in eo et nunc etiam secum bellandi illis causam fore, quod. ...“ Duebner et Gutschmied (in diss. supra laud. p. 188) verba omnibus a codicibus praebita „in eo“ sollicitant iisque sensum inesse negant. Sed iure defendit Jecpius codicum scripturam. Verba enim illa ad Nicomedem referenda sunt atque significant nostra linqua proprie: bei der Person des Nicomedes i. e. Romani arma a Mithridate contra Nicomedem lata tituli loco habebant, ut ipsi bellum inferrent Mithri-

dati. Simili ratione ad personas referenda sunt in Justini excerptis verba „in eo, in ea, illo" cet. 9, 8, 7. 11, 2, 2. 14, 6, 10. 39, 1, 6. 16, 4, 10. 32, 1, 7.

4) Post verbum quoddam movendi praepositio „in" cum ablativo, non cum accusativo, coniuncta invenitur. 38, 6, 1. neque in uno se, sed in aliis quoque omnibus hac saepe arte grassatos. Aeque Justinus 15, 2, 4. 16, 4, 10. Deinde ut in excerptis interrogatione facta, quantum temporis spatium quid duraverit, plerumque ablativus positus est, ita etiam in Trogi fragmento. 38. 4, 6. sedecim annis Asiae immorari.

5) Tum genitivus adoptio testamenti. 38, 5, 4. eodem modo explicandus est, quo 16, 3, 10. naufragium repentinae tempestatis. — adoptio per testamentum facta. — Ad genitivi usum, quo dictum est Scythiae bella 38, 7. 4. = bella contra Scythas gerenda — vid. p. II sub genit.

6) Nec poetica loquendi ratio in Trogi fragmento non intelligitur, quam rem declarant hae locutiones: 38, 3, 5. decretorum arbitria cf. com. crit. p. 152. 38, 6, 7. legem odiorum alicui dicere. cf. 5, 2, 8.

Jam ex singulis his satis elucebit magnam esse stili similitudinem Trogi fragmento cum Justini excerptis. Neque rem aliter se habere intelliges, si universum sermonis colorem comparaveris cum eo, quem excerpta produnt. Nulla enim orationis differentia offensus ab excerptorum lectione transitum facies ad Trogi fragmentum.

Hac autem ex re si, quid sequatur, nunc quaerimus, id scilicet esse debet, ut statuamus Justinum etiam aliis, ac quo Trogi nomen affert, locis una cum rebus etiam verba e Trogo ipso sumpsisse ideoque etiamnunc multa Trogi fragmenta ad verbum descripta in Justini excerptis extare. Quae maxime orationibus passim insertis contineri, iam supra indicavi, quippe quas etiam Justinus fere omnes obliqua dicendi forma compositas praebeat, si exceperis 2, 12, 3 - 8

ubi compellantur Jones, qui Persas cum Graecis bellaturos erant secuti; 14, 4. 1—15, ubi scriptor Eumenem et 18, 7. 10—15 ubi Maleum loquentem fecit. Cum vero Mithridatis orationem totam exscriberet, alias nequaquam integras, sed particulas tantum earum in opusculum suum recepit. Neque aliter de Justini ratione excerpendi Trogum sensit vir magna auctoritate Heerenius, qui in fine commentationis alterius, quam scripsit de Trogi fontibus et auctoritate, hoc iudicium edidit: „Qui historias Justini diligentius perspexerit, modo in narrationes copiose et ornate confectas, modo in alias breviter et ieiune expositas incidet. Scilicet in illis Trogum ipsum fere integrum habemus, in his illud tantum sibi proposuit auctor, ut nexum narrationis servaret, non ut singula, quae forte per se memoratu digna essent, commemoraret." Cui opinioni prorsus accedens iam causam me non intellecturum esse confiteor, si rem aliter sese habere ponamus. Erat enim Justinus nequaquam ea animi natura ac condicione, ut suo Marte aliquid perficere vellet. Nam qui nihil aliud egit, quam ut „Trogi Pompeii cognitione quaeque dignissima excerperet et omissis iis, quae nec cognoscendi voluptate iucunda, nec exemplo erant necessaria, breve veluti corpusculum faceret", (cf. praef,) qua tandem ex causa is animum induceret, ut narrationes longiores easque pro se iucundas, quas integras exscribere potuit, dissolveret et pro sui ipsius dicendi ratione transformatas proferret?

Multa igitur Trogi fragmenta etiamnunc in Justini excerptis mihi extare videntur, quae quidem a Justini verbis secernere in animo mihi non est. Hoc loco rem leviter attigisse sufficiat. Quod si statuerimus, etiam facilius variam nec ad unam normam redactam Justini epitomatoris latinitatem intelligemus. Is enim maxima ex parte ex ipso Trogo pendet, cum partim multa ad verbum descripsisse videatur, partim crebra lectione eo perveniat, ut in iis quo-

que, quae suis verbis protulit, Trogi dicendi rationem proderet. Alia denique scriptoris ipsius tempori debentur.

Haud pauca vero in Justini excerptis si non Justino, sed Trogo ipsi vindicanda sunt, fortasse aliud iudicium de Trogi latinitate feremus, atque quod Bernhardyus in historia litter. Rom. ed. IV. p. 677 tulit illum optimis annumerans scriptoribus, quod haud scio an ex iis, quae ad iudicandum sunt in promptu, satis eluceat. Mihi quidem Trogus, qui sub Augusto floruit, initium fecisse videtur una cum Livio assumendae poetarum in prosam orationem licentiae. Ideo primis argenteae aetatis scriptoribus eum esse innumerandum censeo. Similiter etiam Gutschmiedius (cf. diss. supra laud. p. 194) iudicavit. „Es ist ja aus Justin, der sich in der Hauptsache gewiß an die Ausdrücke seiner Quelle gehalten haben wird, hinlänglich bekannt, daß die Prosa des Trogus nichts weniger, als mustergültig war.

Quaestione de Justini elocutione sic ad exitum perducta iam, quae inde sequantur, ita breviter complecti liceat:

1) Magnam stili similitudinem intercedere fragmento Trogi et Justini excerptis.

2) Justinum praeter notum illud fragmentum etiam multa alia e Trogo ad verbum descripsisse.

3) Trogum ipsum non optimis latinitatis auctoribus esse innumerandum.

VITA.

Natus sum Joannes Fridericus Fischer Longosali in oppido Thuringiae die XXIX mensis Mai anni MDCCCVIL patre Friderico et matre Rebecka e gente Walteriana, quos ambo adhuc esse superstites magnopere gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Tribus quam ortus sum annis post concessu parentum tralatus sum Molhusas in domum avunculi mei Godofredi Walteri liberis carentis, quem in filii quasi locum me substituisse optimeque de me moderando educandoque meruisse pio gratoque confiteor animo. Maxima autem etiam uxori eius praematura mihi morte ereptae debeo. Ludos Molhusanos publicos quum inde a sexto anno frequentassem, ibidem adii gymnasium, cui tum Christianus Haun vir magnae in me benevolentiae praeerat, in eoque Vir. Jll. Falandio, Haspero, Ameisio dilectissimis praeceptoribus usus per novem annos sum versatus. Dignus ubi declaratus sum, qui in academiam abirem, ineunte anno MDCCCLXIV ad tractanda antiquitatis studia Halas me contuli ibique per tria semestria Vir. Jll. G. Bernhardyum Th. Bergkium philologiam, Ed. Erdmannum, J. Schallerum philosophiam audivi docentes. Tum Halis relictis Berolinum transmigravi, ubi per tria semestria scholas Hauptii, Kirchhoffii, Huebneri, Jordani, Mommsenii, Droysenii, Trendelenburgii, Muellenhoffii frequentavi. Nec non societati philologicae a Vir. Jll. Aemilio Huebnero moderatae per unum annum interfui. Interrupta sunt studia mea aliqua ex parte bello in Austriacos exorto, cuius miles fui particeps. Viris autem omnibus optime de me meritis imprimis Aemilio Huebnero gratias quam maximas habeo semperque habebo.

THESES.

I. Sallustius Crispus historiarum scriptor a gravissimis criminibus stupri et provinciae exhaustae vindicari non potest.

II. In Horatii Carm. III. 6. 24. verba

Motus doceri gaudet Jonicos
M a t u r a virgo et fingitur artibus
Jam nunc et incestos amores
De tenero meditatur ungui

et III. 14. 11.

Vos, o pueri et puellae
Jam virum e x p e r t a e, male inominatis
Parcite verbis

sine ullo dubio perversissima iam nulla coniectandi arte sanari possunt.

III. Romanorum reges non a populo in comitiis, sed a suo quisque antecessore vel ab interrege creati sunt.

IV. In Plaut. mil. glor. 8. Lambini coniectura f a r t u m pro Gronoviana lectione s t r a g e m in contextum recipienda videtur.